VITT. EMANUEL

68
13 C
29

FLAMINII NOBILII
DE PRAEDESTINATIONE
LIBRI DVO.

IN QVIBVS MVLTAE, & perobſcuræ ſacrarum litterarum ſententiæ ex antiquorum Patrum auctoritate explicantur.

Ad Philippum Vaſtauillanium, S. R. E. Cardinalem ampliſsimum.

Ex legato Card. Tosi

5.20.I.62.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE,

Apud hæredes Antonij Bladij,

M. D. LXXXI.

MAGISTRATVVM PERMISSV.

AMPLISSIMO CARDINALI
PHILIPPO VASTAVILLANIO

Flaminius Nobilius. S. D.

LOCVS Theologiæ de Prædeſtinatione adeo præceps, & lubricus eſt; vt non defuerint ſanctiſsimi Patres, qui pijs hominibus minime attingendum iudicarent. Sed verè omnino dictum eſt, temporibus eſſe ſeruiendum: ſcitumque illud Diui Gregorij Theologi eſt, non adhibenda fuiſſe pharmaca, niſi vis morbi ea flagitaſſet. Nam quemadmodum nullis hæreſum fluctibus agitata Republica ſtulte faciat, qui inutiles afferat quæſtiones, ac turbas excitet; ita cum impiorum hominum furor in eiuſmodi difficilibus locis, tamquàm vnguis in vlcere exarſit; & vno atque altero alicuius probati auctoris verbo arrepto, atque in deteriorem partem accepto omnia miſcere, ac turbare voluerunt; occurrendum fidenter eſt; depoſitaque taciturnitate, ac diſsimulatione, bonorum auctorum ſententiæ explicandæ; quantum quæque valeat, expendendum; atque impia dogmata accurate ſunt refellenda. Quamobrem, quod Diuus Auguſtinus Pelagiana hæreſi coactus fecit, vt quæſtionem iſtam ſubtiliter, copioſeque tractaret; idem

noſtra ætate, diuerſa quidem, ſed nihilo mitiore in ſacroſanctam Dei Eccleſiam peſte graſſante doctiſsimi, ac de Republica optime meriti homines, Pighius, Catarinus, Sotus, Oſorius, Turrianus, Toletus, Frater Paulinus Bernardinius ciuis meus, atque alij nonnulli neceſſario fecerunt: quamquam Toleti quidem, & Bernardinij præclara lucubrationes nondum excuſæ typis, ſed manuſcriptæ, & omnium, qui de his rebus exiſtimare poſſunt, iudicio probatiſsimæ circumferuntur. Locus enim eſt huiuſmodi, qui cum per ſe magni momenti ſit, tum ita longe, lateque pateat, vt ex huius vnius, multorum aliorum explicatio pendeat. Verum cum duæ in primis celebres, & quæ multos habeant ſectatores, opiniones hodie vigeant, vna, quam ſæpe Diuus Auguſtinus, vt vndequaque Pelagianis ſe opponeret, altera, quam & ipſe interdum, & antiquiores Latini, ac Græci patres ſecuti perpetuo ſunt; hæc ſemper probabilior eſt viſa; niſi argumenta quædam ex ſacris litteris deprompta obſtarent; in quibus diſſoluendis eorum, quos diximus, præclare deſudauit induſtria. Verumtamen cum Pontificis iuſſu Græcorum patrum, præcipue Ioannis Chryſoſtomi ſcripta, quæ in Latinam linguam conuerſa ſunt, cum græcis exemplaribus conferens, multa, vt fit, inter legendum obſeruaſſem; quæ aliquid lucis afferre obſcuriſsimis illis ſententijs poſſe viderentur; ea ſi colligerem, contexeremque; non nullam cum theologiæ ſtudioſis gratiam me initurum ſperaui. Quamobrem non eſt, cur ad vetus illud prouerbium confugiam, quod ſapientem præterijt, puerulus inuenit. Nos enim in hoc opere non tam noua inuenta damus, quàm, quæ ab antiquis Patribus tradita ſunt, ſedulo colligimus. Cæterum illud quoque Cardinalis Ampliſsime *me ad ſcribendum impulit; quòd cum arderem cupiditate incredibili meam erga te obſeruantiam, ſtudium, pietatem declarandi, neque id alia ratione aſſequi poſſem; neceſſario à litteris ſubſidium petendum, atque ex ijs depromendum aliquid fuit, quod tibi offerrem, atque hoc ſaltem grati, memoriſque clientis officio fungerer. Quæ etiam cauſa fuit; cur minime expectandum cenſuerim; dum totum opus perpoliretur: Sed cum ex duobus libris; in quos hanc diſputationem digeſſeram, primus paulo diligentius eſſet elaboratus, legique poſſe videretur; memoria, opinor,*

tenes,

tenes, contineri me non potuiſſe; quin eum quamprimum ad te deferrem: quem non longo poſt interuallo ſecundus eſt conſecutus. Nihil enim æque celeres motus, atque amor habet: præſertim vbi iuſtiſsimi, vel potius neceſſarij officij ſtimulis incitatur. Ecquid vero ego tibi non debeam; quem tu ſemel tibi IACOBI BONCOMPAGNII *verbis commendatum, iuuenis prudentia, virtute, humanitate, rei militaris ſcientia, eruditione, honoribus florentiſsimi, ſingulari benignitate tua, nonnullaque de ſtudijs meis opinione adductus, non ſolum humaniſsime complexus es; verum etiam tuendum, fouendum, ornandum ſuſcepiſti? Dabis* CARDINALIS OPTIME *hanc veniam ardori meo, ſi paulò liberius erumpet oratio, ac familiarius tecum egero. Multæ in te ſunt, præclaræque virtutes iampridem in tua nobiliſsima patria, maximis magiſtratibus, maxima cum laude geſtis perſpectæ, nunc vero Romæ, ideſt communi totius orbis theatro propoſitæ, innocentia, integritas, religio, prudentia, in rebus gerendis induſtria, beneficentia; quæ tui memoriam magna cum laude poſteritati propagabunt. Ego vero tuam iſtam morum lenitatem, & comitatem, qua grauitatem perſonæ ſuauiſsime condis, iſtam facilitatem, moderationem, humanitatem in tanta fortuna, in qua claros etiam homines deſpici minime mirandum, aut inuſitatum eſſet, in tantis Reipublicæ occupationibus; vt amicorum etiam, longoque vſu coniunctorum tibi hominum obliuiſci propemodum liceat, ita admiror, vt finem admirandi non faciam. Ea enim mihi eximia laus videtur, altitudine proſperitatis ſuæ ſuperiorem eſſe, nec ſecundo illius flatu de gradu humanitatis, & modeſtiæ dimoueri. Itaque & auunculum habes Pontificem maximum, & dignum te nepotem præſtas* GREGORIO XIII. PONTIFICE OPTIMO MAXIMO: *cuius ſummum ſacerdotium ita ſanctum, atque auguſtum eſt; vt etiam ſi nulla propria in Rempublicam Chriſtianam merita extarent, ſummus illi inter homines honos, & obedientia, vel à Regibus, atque Imperatoribus debeatur: Ea vero ſapientia, ac tam diuina, humanoque generi ſalutaris virtus; vt vel in priuata vita apud omnes homines ſumma illius auctoritas futura fuerit. Cæterum hæc, & ſæpe dicta ſunt, & ſæpe etiam dicentur. Habent enim & fruendo percepta ſalutem, & commemorando*

morando

morando vſurpata delectationem. Nunc vt ad inſtitutum reuertar, non modo librum, ſed etiam me ipſum in manum iſtam fide, liberalitateque præſtantem trado; meque totum tibi dono, & addico; munus; ſi rem ipſam ſpectes, non magnum; ſin autem (vt ſpero & video) animum; non exiguum. Quod vt facerem, patronus meus GVIDO FERRERIVS CARDINALIS *omnibus bonis artibus præcellentiſsimus; qui omnia ſua in ære tuo eſſe velit, non modo permiſit, ſed etiam auctor fuit. Vale Princeps optime, & humaniſsime. Romæ* CIↃ IↃ LXXV. *Anno Iubilei.*

LIBRI PRIMI
CAPITA.

QVid nomine prædeſtinationis ſignificetur. Cap. 1. pag. 1

Quæ D. Auguſtini ſententia fuerit. Cap. 2. pag. 4

Quæ Græcorum Patrum ſententia fuerit. Cap. 3. pag. 6

Quæ Diui Auguſtini ſententiæ officiant. Cap. 4. pag. 7

Quæ Græcorum Patrum ſententiæ aduerſentur. Cap. 5. pag. 10.

Prædeſtinationis notio accuratius explicata. Cap. 6. pag. 11

Et ante peccatum, & in Chriſto omnes homines generali & antecedente prædeſtinatione eſſe prædeſtinatos. Cap. 7. pag. 13

Prædeſtinationem antecedentem ſolius diuinæ bonitatis munus eſſe. Cap. 8. pag. 17

In prædeſtinatione conſequente includi prænotionem aſſenſus noſtri. Cap. 9. pag. 17

De peculiari, & eximia prædeſtinatione. Cap. 10. pag. 23

Quid hucuſque actum ſit; & quid agendum reſtet. Cap. 11. pag. 26

LIBRI SECVNDI CAPITA.

QVid Diuo Auguſtino, quid item antiquioribus patribus videatur concedendum. Cap. 1. pag. 29

De loco Diui Pauli [cum nondum nati fuiſſent, &c. Cap. 2. pag. 34

De loco illo [Ego induraui cor Pharaonis.	Cap. 3.	pag. 44
De locis quibuſdam noui teſtamenti.	Cap. 4.	pag. 52
Quæſtionum de infidelibus, & infantibus ſine baptiſmo, aut ſtatim à baptiſmo obeuntibus explicatio.	Cap. 5.	pag. 55
Quomodo voluntas Dei non ſit infirma.	Cap. 6.	pag. 60
De ſcientia Dei.	Cap. 7.	pag. 62

FLAMINII NOBILII
DE PRÆDESTINATIONE
LIBER PRIMVS.

Quid nomine Prædeſtinationis ſignificetur. Cap. I.

PRædeſtinationem Dei,quam Gręci *προορισμόν* dicunt, B. Fulgentius vniuerſe videtur definiſſe,ſempiternã diſpoſitionem futuri ope ris Dei.Duplex autem prædeſtinationis quaſi diuiſio eſt, quarum diuiſionum membra non quidem omnino,ſed tamen magna ex parte ſi bi viciſſim reſpondent.Prior igitur diuidendi ratio hęc eſt, vt prędeſtinationem aliam rerũ, aliam perſonarum eſſe ſtatuamus.Rebus attri buit prædeſtinationis nomen D.Paulus ita dicens.*Loquimur Dei ſapientiam;in myſterio quæ abſcondita eſt;quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram* : quem imitatus D. Leo Deum inquit prædeſtinata renouandis mortalibus ſuę pietatis remedia inter ipſa mundi primordia pręſignaſſe. Item D. Gregorius celebri illo loco *obtineri nequaquam poſſunt;quæ prædeſtinata non ſunt*.Item B.Ioannes Damaſcenus,& in Oplotheca,& ſecundo libro de orthodoxa fide. *Præuidens Deus futura,quæ in noſtra poteſtate ſunt, prædeſtinat ea,quæ in noſtra poteſtate nõ ſunt*.Perſonis verò paſſim tribuitur.Nam & homines, & Angeli,&

l. 1. ad Mony. c. 16.

1. Cor. 2.

In ſerm. 2. de natiuitate.

Lib. 1. dialogi. c. 8.

Cap. 30.

li, & Chriſtus dominus dicuntur prædeſtinati. Altera verò diuiſio illa eſt,quam auctor libri de prędeſtinatione Dei attulit, vt alia ſit prędeſtinatio potentię,& alligationis, alia verò conditionis, & iuſtitiæ. Atque hac conditionis prędeſtinatione affirmat homines eſſe prędeſtinatos. *Non enim,inquit,Deus ante caſum hominis ſic eum per potentiam alligationis prædeſtinauit mori; vt neceſſe eſſet eum mori, ſed ſub ea conditione, ſi peccaret.* At cum interrogati, cur cœlum voluitur,aut terra ſtat, abſolute reſpõdemus quia Deus prædeſtinauit;hęc iam prędeſtinatio potentię, & alligationis eſt:quam,opinor,ſpectabat D. Dionyſius, cum prędeſtinationes ab Ideis non diſtingueret,eaſque definiret voluntates Dei certo efficientes, & conſtituentes: quod etiam notauit Damaſcenus libro primo de ſanctis Imaginibus. Diximus harum diuiſionum membra non perpetuo,ſed maiorem partem ſibi reſpondere; quoniam, tametſi prędeſtinatio rerum plerunque abſoluta ſit, perſonarum verò habeat conditionẽ adiunctam; tamen nihil impedit,quo minus,exempli cauſa,gratiam,& gloriam dicamus hominibus ſub conditione prędeſtinatam eſſe, & alijs quibuſdam ſimilibus locutionibus vtamur. Verum vt in perſonarum prędeſtinatione,quę nunc nobis propoſita eſt, commoremur,illa quidẽ rurſus interdum communius, interdum magis proprie vſurpatur. communius vt apud Iſidorum his verbis. *Gemina eſt prædeſtinatio, ſiue electorum ad requiem,ſiue reproborũ ad mortem.* Quod etiam non nullis locis Beda & ipſe D. Auguſtinus dixit: mortem autem, non delicti, ſed ſupplicij intelligendam eſſe accurate oſtendit B.Fulgentius. Magis vero proprie vſurpatur apud D.Paulum. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit.* Eſt n.propoſitũ conferẽdę ſalutis; atq; hac notione vocẽ iſtã plerunque Diuus Auguſtinus,& qui poſt ſecuti ſunt,protulerunt. Prędeſtinationis igitur nomẽ cõmuni Theologorũ loquẽdi vſu,à quo nobis minime diſcedẽdũ duximus,deſignationẽ ſignificat,inſtitutionẽ,ordinationẽ,quę à Deo fit,ac deſtinationẽ creaturę intelligẽtis,antequã ea in lucem prodeat, & quicquã boni, vel mali agat,omninoq; antequã vocetur & iuſtificetur(nihil enim opus eſt perſequi iſta ſubtilius,) deſtinationẽ,inquam,ad gloriã ac fęlicitatem ſempiternam;tametſi quoniam ad gloriam ſine gratia nõ peruenitur,idcirco ex cõſecutione quadam ſignificet etiam deſtinationẽ ad gratiam:quam obrem inquit B.Fulgentius,& vocationis noſtrę initia & iuſtificationis incremẽta, & glorificationis prẽmia Deum ſemper in prędeſtinatione habuiſſe. Quinimo quoniam gratia ſuapte natura, & quantum in ſe eſt,ad gloriam adducit(eſt enim quaſi ſemen gloriæ)ideo quos eſſe in gratia probabile eſt, quique magna ad gratiam conſequendam adiumenta habuerunt; ij nonnunquam abſolute nominantur prędeſtinati. Ita D.Ignatius Epheſiorum Eccleſiam vocat prædeſtinatam ad ſtabilem perpetuamque gloriam. Ita D.Eutychianus Papa illa Apoſtoli verba ex epiſt.ad Epheſ. *Qui bñdixit nos in omni benedictione ſpũali: qui prædeſti-*

Tomo 7. operum Aug.

De diu. nom. extremo c. 5.

lib. 2. de ſummo bono c. 6. Beda in l. qſt. q. 13. toto. 1. l. ad Monymum. Ro. 8.

lib. 1. ad Mony. c. 15.

1 ep. ad Eph.

Epiſt. 2.

deſtinauit nos in adoptionem filiorum & cætera fere omnia, quę primo illo capite leguntur,omnibus Chriſtianis accõmodat.Eodem loquendi modo vtebatur D.Cyrillus Hieroſolymitanus.*Deus,inquit, qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum;conformes fecit corpori gloriæ.* Præſcientiæ autẽ (quomodo proprie apud Theologos ſcholaſticos accipitur) ac reprobationis nomen ſignificat deſtinationem ad ſupplicium ęternum ante omnia tempora Dei mente & voluntate conceptam. Et quamuis varia quaſi momenta ſtatuant,nolle admittere ad Regnum, ſinere in peccatum labi,pro peccato pœnam imponere;tamen ipſa etiam excluſio à Regno pœna eſt,pœna nimirum damni: Ac pręterea clariores Theologi proprie tunc,cum pro peccato pœna infligitur, reprobationis nomen vſurpant. Cat. myſt. 1.

Addidi in pręſcientia deſcribenda cautionẽ illam[quomodo apud ſcholaſticos accipitur.] Nam Origenes(vt hũc vnũ ex vetuſtioribus cõmemorẽ) locum illum D.Pauli explicans.*Quos præſciuit,& prædeſtinauit.*eos tantum à Deo pręſciri docet,qui ſe dignos prębuerunt, qui cognoſcerentur,atque ab ijs ſegregarentur,quibus dictum eſt.*Nonnoui vos*, In eandẽ ruríus ſententiã D.Paulus dixit.*nõ repulit Deus plebem ſuã,quã præſciuit.* Illos enim in ſacris literis ſępe dicitur noſſe Deus:qui viciſſim Deum ipſum bene norunt:bene autem norunt,qui eum ſibi notum eſſe verbis,& factis oſtendunt: Eſt enim γνῶσις vt Clemens Alexandrinus notauit, ſcientia conſentiens actionibus.Sed eo, vnde ſumus digreſſi, reuertamur.Sumpſimus prędeſtinationis vocabulo primum,ac directo ſignificari deſtinationem ad gloriam, ad gratiam vero non niſi ex conſecutione: quod cum ex eo patet,quòd reprobatio,quæ illi opponitur,primo ſignificat deſtinationem ad pœnam,vel ſaltem propoſitum non admittendi ad Regnum, habitus autem & priuatio in eadem re uerſantur: tùm facile ex varijs Patrum ſententijs colligitur. D.Hieronymus,(ſi modo explanator epiſtolę ad Romanos D.Hieronymus eſt,)ac D.Ambroſius(vt cęteros nunc mittam)verba illa.*Quos præſciuit,& prædeſtinauit*,ita interpretantur, vt quos Deus præuidit conformes futuros in vita, voluerit etiam fieri conformes in gloria, quoſque præſciuit futuros ſibi deuotos, ipſos elegerit ad promiſſa præmia capeſſenda: quaſi tametſi præſcientia, & prædeſtinatio eodem concurrant, tamen præſcientia apud Paulum, vſum gratiæ in præſenti vita ſpectet, prædeſtinatio largitionem gloriæ in futura. Ita Damaſcenus, vt antea diximus, docebat Dei præſcientiam pertinere ad ea,quę in noſtra poteſtate ſunt, ideſt virtutes,& vitia;prædeſtinationem verò ad ea quæ non in noſtra, ſed in ipſius Dei ſunt poteſtate, ideſt præmium,& pœnam. Ac certe deſtinationis nomen præſefert emiſſionem quãdam ad finem.Sit igitur prædeſtinatio (quantum huic primæ ingreſſioni ſatis eſt: nam infra diligẽtius agemus) propoſitum conferendi gloriam,& ex conſecutione gratiam. lib. 7. ad c. 8. epi. Rom. Matt. 7. Rom. 7. Strom. 2.

DIſtinguitur ab electione, & dilectione, quamuis non longè diſtet: à dilectione quidem, tanquam id, quod conſequitur ab eo, quod antecedit: (Deus enim diligendo creat; ad felicitatem vocat; gratiam largitur, & gloriam:) ab electione autem tanquàm minus commune ab eo, quod communius eſt. Prædeſtinatio enim ęternum illud duntaxat propoſitum ſignificat, electio vero cum iſtud æternum propoſitũ, tum etiã ſuſceptionem, & inſtitutionem illam, quæ certo tempore erumpit in lucem. Præterea prædeſtinationis nomen plerunque pertinet ad ſempiternę felicitatis donationem: electio vero ad certorum pręterea munerum aſſignationem: vt exempli cauſa ad Apoſtolatum: quemadmodum eo

Ioan. 6. loco. *Nonne ego duodecim vos elegi?* Videtur autẽ omnino in prędeſtinatione ineſſe tanquam propria ipſius conditio, delectus quidam, & ſegregatio: quare D. Dionyſius ſtatuebat prædeſtinationem eſſe *ἀφοριςικήν*. i. ſeligentem & ſegregantem. Ita cum ex angelis, atque hominibus non nullos prędeſtinatos dicimus; ſelectos intelligimus prę alijs Angelis, atque hominibus: quòd ſi quando totum Angelorum atque hominum genus prędeſtinatum pronunciemus; præ alijs naturis creatis ſelectum ac ſegregatũ, quod ad præſtantiſſimũ finem dirigeretur, intelligendum erit Non me fugit inter ſcholaſticos multa de harum vocum diſtinctione ſolere diſputari: ſed nihil cauſæ eſſe duximus, cur ea in diſquiſitionem vocaremus: etenim ad rem ipſam feſtinamus.

Quæ D. Auguſtini ſententia fuerit. Cap. II.

QVæſtio igitur obſcuriſsima, atque ad explicandum difficilima nobis propoſita eſt; Num aliquid cauſę in nobis ſit; cur aut prædeſtinemur; aut pręſciamur, ac reprobemur. In hac quæſtione duæ ſunt celebres opiniones, quæque familiam ducunt: (nam cæteræ ad has referri non incommode poſſunt) vna D. Auguſtini, altera Græcorum Patrum. D. Auguſtinus, licet ſæpe dubius, tamen in poſterioribus libris, cum profliganda Pelagij hęreſis eſſet, hanc plerunque ſententiam protulit, quam deinde conſtantiſſime B. Fulgentius ſecutus eſt; Vniuerſam naturam humanã peccato originis inquinatam, & corruptam, eſſe dignam, quę à regno gloriaq; reiiciatur: Ex hac autẽ vniuerſa maſſa Deum, ſicuti quoſdam homines in ſuis illis ſordibus, ſuaque indignitate iacere ſinit, neque ſubleuandos putat; ita quoſdam ſeligere, quorum maculas eluat, quoſque ornet, & ad regnum perducat: ita illos reprobari; hos vero prædeſtinari: in illos extare iuſtitiæ ſeueritatem (puniri enim pro peccato originis, quò deinde multi propria etiam peccata & crimina addiderunt) in hos miſericordiam, & benignitatem: nullo enim ſuo merito intercedẽte ex reis eximi, pœnęq; eripi, & affici maximis, atque ampliſſimis muneribus: Ita nullam in nobis, excepto originis peccato, eſſe cauſam, cur reprobemur aut prędeſtinemur: ſed totam in Dei voluntate conſtare ex eadem maſſa vnum vas ad honorem, alterum ad contumeliam, ſine vllius cuiuſquã

iniuria facientis: Quos autem ſelegit, ac prædeſtinauit; hos ita efficaciter vocare, tantumq; illis gratię auxilium impartiri; vt omnino ſequatur: veramq; fidem, ſpem, charitatem, iuſtitiam apprehendant, ac teneant, tandemq; ęternam conſequantur fęlicitatem. Non pigebit ipſa afferre Auguſtini verba ex libro de correptione, & gratia: in quo cum multa alia in hanc ſententiam dixiſſet, tum iſta adiungit. *Quicunq; ergo ab illa originali damnatione iſta diuinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium quòd procuratur eis audiendum Euãgelium: & cum audiunt, credũt, & in fide quæ per dilectionem operatur, vſq; in finem perſeuerant, & ſi quando exorbitant, correpti emendantur: & quidam eorum, & ſi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerunt, redeunt; & nonnulli acceptata gratia in qualibet ætate periculis huius vitæ mortis celeritate ſubtrahũtur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vaſa miſericordiæ operatus eſt eos: qui & elegit eos in filio ſuo ante conſtitutionem mundi per electionem gratiæ: ſi autem gratia; iam non ex operibus; alioquin gratia iam non eſt gratia. Non enim ſic ſunt vocati, vt non eſſent electi: propter quod dictum eſt, multi ſunt vocati, pauci vero electi. Sed quoniam ſecundum propoſitum vocati ſunt, profecto electi ſunt, per electionem, vt dictum eſt, gratiæ, non præcedentium meritorum ſuorũ, quia gratia illis eſt omne meritum.* De qua efficaci vocatione in libro de prædeſtinatione ſanctorum hæc etiã ſcribit. *Vocat enim Deus prædeſtinatos multos filios ſuos; vt eos faciat membra prædeſtinati vnici filij ſui: non ea vocatione, qua vocati ſunt, qui noluerunt venire ad nuptias: illa quippe vocatione & Iudæi vocati ſunt, quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum eſt; & gentes, quibus Chriſtus crucifixus ſtultitia eſt: Sed ea vocatione prædeſtinatos vocat; quam diſtinxit Apoſtolus dicens, ipſis vocatis Iudæis, & Græcis prædicare ſe Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiã. Sic enim ait, ipſis autem vocatis; vt illos oſtenderet non vocatos, ſciens eſſe certam quandam vocationem eorum, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt: quos præſcivit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui: Quam vocationem ſignificans ait, Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori. Nunquid dixit, nõ ex operibus, ſed ex credente? prorſus etiam hoc abſtulit homini, vt totũ daret Deo. Dixit ergo ex vocante, non quacunque vocatione, ſed qua vocatione fit credens. Hanc etiam intuebatur cum diceret, ſine pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei.* Adde illa ex libro de fide ad Petrum. *Illi cum Chriſto regnabunt, quos Deus gratuita bonitate ſua prædeſtinauit ad Regnum: quia enim eos tales prædeſtinatio præparauit, vt in Regno Dei eſſent; præparauit vtique ſecundum propoſitum vocandos, vt obediant: pręparauit iuſtificandos, ut accepta gratia recte credant, & bene viuant: præparauit & glorificandos; vt Chriſti cohæredes effecti regnum Cœlorum ſine fine poſſideant.* Ex his quæ recitauimus, D. Auguſtini ſententiam ſatis percipi opinor. A qua, eos minime diſcedere, qui ita ſtatuunt Deum ante vllius peccati animaduerſionem in illa ſua ęternitate vidiſſe omnes homines, & alios quidem ad regnũ admittere voluiſſe, alios autẽ noluiſſe, aut certe non voluiſſe; facile intelligi poteſt. Negant enim peccatorum

Cap. 7.

Cap. 16.

tom. 3. operũ D. Auguſtini quamuis verius fortaſſe tribuatur B. Fulgentio.

catorum,quæ ab vno quoque ſigillatim committuntur,animaduerſionē in reprobando antecedere: at peccati originis negare non poſſunt. Nam ante peccatum Adę omnes homines ad regnum deſtinatos fatentur. ergo hæc hominum diſtributio,vt alij deſtinentur,alii minime,ex peccato Adę profecta eſt.Præcipue vero D. Thomas multis locis Auguſtini ſententiā ſe libenter ſequi declarauit. Nam in Summa de veritate ita inquit.*Rationem reprobationis in hominibus eſſe peccatum originale, vel in futuro hoc ipſum,quod eſt non habere debitum ad hoc,quòd eis gratia conferatur.* Alibi autem illud addidit, quibus auxilium gratię denegetur,iuſte denegari, nimirum ad pœnam precedētis peccati exigendam,ſaltem originalis.Quamquam libenter patior hanc ſententiam ita à doctisſimis hominibus explanari,vt pro peccato originis non quodlibet auxilium, ſed tantum efficax denegari intelligamus:qua de re ſecundo libro.

q.6.ar.2.

1. 1.q.1.art. 5.

Quæ Græcorum Patrum ſententia fuerit. Cap. III.

GRęcorum autem Patrum longe alia ſententia eſt.Ita enim ſtatuunt omnes homines etiam poſt Adę lapſum procreari , ac dirigi ad vitā ęternam:omnibus auxilia,quibus adiuti eò peruenire queant,à Deo offerri ac parari,ſed nemini tamen vim afferri,neque, vt D. Dionyſius inquit,naturę illius,quam liberam cōdidit,ius violari:quamobrem eos dūtaxat certo deſtinari ad regnum,quos in æternitate illa ſua nouit libertatem ſuam in bonam partem conuerſuros, ac ſeſe ipſi Deo commiſſuros: eos autem reprobari , quos nouit aut ſocordia obſtupefactos , aut ſuperbia abreptos oblatum ſibi auxilium repudiaturos.Tantum vero libertati noſtrę tribuere videntur,vt non ſolum,quòd ſalutem adipiſcamur,ſed etiam,quòd altiorem, inferiorem ue gratię , gloriæque gradum aſſequamur,noſtro ſtudio,noſtręque aut remiſſiori, aut cōtentiori diligentię acceptum referant:diuinum enim auxilium nemini id quod in ſe eſt,facien ti de eſſe. Quocirca ſepę clamat Chryſoſtomus (cuius præcipue auctoritas Auguſtini auctoritati ſolet opponi) torporis , ac negligentiæ noſtræ eſſe,quòd Paulo ſimiles,ac pares non euadamus: Paulum propterea gratiam eſſe conſecutum,quòd ante gratiam ad pedes Gamalielis ſe contuliſſet:atque efficaciter quidem uocatum eſſe à Deo,ſed & ipſum ſuas partes obediendo præſtitiſſe. Nilus vero Chryſoſtomi diſcipulus addit,operarios qui in parabola Euangelica in vineam hora vndecima venerunt, ideo æqualem cum illis,qui bene mane uenerāt,mercedem tuliſſe,quòd temporis breuitatem diligentia compenſantes horæ curriculo tantundē operis,atque illi integro die,confeciſſent.Multa alia in hanc ſententiam à Gręcis Patribus dicta,procedente diſputatione et afferemus, & expendemus.

De diu.nom. c.4. in extremo.

In Matt. homi.6. In Gē. hom.xi. In 1.cor. hom. 5.& 38. Vide Bibliothecā ſanctam l. 6. ann.251. vbi omnes fere Gręci patres citantur.

Quæ

Quæ D. Auguſtini ſententiæ officiant. *Cap. IIII.*

HIs maxime inter ſe diſſidentibus ſententijs expoſitis, vtramque examinare neceſſe eſt. Ac Diui quidem Auguſtini ſententia, quam Magiſter ſententiarum, & multi qui ab illo fluxerunt, ſecuti ſunt, his ſat eruditis temporibus paulo durior eſt viſa, & ex quodam potius vndique ſe Pelagianis opponendi ſtudio, quàm ex libero, ſolutoque animi iudicio profecta. Itaque et Catharinus, & Pighius, & Oſorius, & multi alij præclariſsimi viri plurimis, quarum aliquæ ſatis habere firmitatis videntur, rationibus illam oppugnarunt. Ad quorum ſcripta nos lectorem, ne ſuperuacuum laborem aut nobis ſumeremus, aut illi imponeremus, magna ex parte putauimus eſſet reijciendum, atque hęc tantum pauca quæ ſubijciemus, afferenda: præſertim cum ea, quæ ad libertatem noſtræ voluntatis in gratia accipienda pertinent, alibi copioſe tractauerimus. Si iſta D. Auguſtini ſententia admittitur, illud quoque concedendum uidetur, vt oſtendemus, ex peccato originis damnari nos ad pœnam ſenſus: quod tamen hodie ab omnibus fere theologis abſurdum putatur: extant que de hoc argumento doctiſsime ſcripti libri. Oſtendemus autem quod polliciti ſumus, hoc modo. Ex peccato originis fit, vt Deus nos iuſtè poſ- *Aug. in ep. ad Optatum.* ſit, atq; adeo maiorem hominum partem ſoleat reprobare, & gratiam denegare: gratia deſtituti fieri omnino non poteſt, quin adulta ætate in lethale aliquod peccatum incurramus, atque in eo etiam perpetuò iaceamus: peccato lethali debetur æterna pœna ſenſus, non modo damni: itaque propter originis peccatum nos reprobare, nihil aliud eſt, quàm adultos homines ſummæ, ſempiternæque miſeriæ deſtinare. Diuus quidem Thomas interdum reſpondet, licet ille non poſſit gratiam adipiſci, qui reprobatur à Domino; quòd tamen in hoc, vel illud peccatum labatur, ex libero arbitrio proficiſci, ideoque dum peccat, culpã admittere. Sed multis reſponſum hoc non ſatis animum explet. Nam tametſi, qui caret gratia, hoc, & illud peccatum uitare poſſit, vniuerſa tamen vitare non poteſt. Nihilo autem magis ad mortem damnari Iudas, exempli cauſa, videbitur, ſi vnicus illi percuſſor ſubmittatur ita validus, vt defenſioni locus nõ ſit, quàm ſi plures immittantur non illi quidem adeo valentes, quin ſingulis Iudas obſiſtere queat, ſed tamen ita comparati, vt dum ab vno ſibi Iudas cauet, quin ab alio lethalem plagam accipiat, fieri non poſſit. Quãobrem longe mihi magis probatur, quod ab eodem D. Thoma alibi dicitur, quãquã ad nõ peccandũ requiratur gratiæ auxilium; ideo tamẽ vere dici, in noſtra poteſtate ſitũ eſſe nõ peccare, quoniã quæ per amicos poſſu- *1. 2. q. 109. art. 4.* mus, per nos quodãmodo poſſumus: hominũ autẽ optimus amicus Deus: idque auctor libri de vera, & falſa pœnitẽtia optime explicat. *c. 16.* Omnino D. Auguſtinus, dũ à Pelagiana hæreſi lõgiſsime abeſſe vult, ita interdũ hoc

originis

originis peccatum exaggerat, vt aut durior videatur, aut cogatur dubitare, num forte omnes noſtræ animæ fuerint ex illa prima Adæ peccantis

Epiſt.28. propagatæ. Sic enim ſcribit ad D. Hieronymum. *Dic mihi, ſi animæ ſigillatim in ſingulis naſcentibus fiunt; vbi in paruulis peccent, vt indigeant in ſacramento Chriſti remiſſione peccati, peccantes in Adam, ex quo caro eſt propagata peccati? aut, ſi non peccant; qua iuſtitia creatoris ita peccato obligantur alieno, cum exinde propagatis membris mortalibus inſeruntur; vt eas, niſi per Eccleſiam ſubuentum fuerit, damnatio conſequatur, cum in earum poteſtate non ſit vt eis poſſit gratia baptiſmi ſubueniri?* Item Retractationum libro primo ita ſcribit. *Nam, quod attinet ad animæ originem, qua fit, ut ſit in corpore, vtrum de vno illo ſit, qui primum creatus eſt, quando factus eſt homo in animam viuam, an ſemper ita fiant ſingulis ſingulæ, nec tunc ſciebam, nec adhuc ſcio.* Quamobrem quando D. Auguſtinus, quid potiſſimum in harum quęſtionum explicatione ſequeretur, nō ſatis habuit conſtitutum, & ea, quam interdum protulit, de peccato originis ſententia hodie non vſquequaque probatur, mirandum magnopere non erit, ſi hanc quoque de prædeſtinatione quęſtionem, quæ ex illa pendet, paulo aliter explicandam arbitremur, nonnihilque ab illius ſententia recedamus: prę ſertim cum parum omnino videatur congruere teſtimonijs ſacrarum literarum quibus Deus inducitur benignus, & liberalis in vniuerſum humanum genus, nō vnam dumtaxat particulam ſeligens, cui ampliſſima conferat bona, reliquos vero homines ita reijciēs, vt igni perpetuo nullam illorū ob culpā cruciari velit. Quocirca præclarum illud Eccleſiæ lumen Gregorius Nazianzenus non veritus eſt dicere, ignoſcere quidem rē naturalem Dei eſſe, iraſci autem quodāmodo præter naturam. Hinc illę conſo-

2.Pet.3. lationis pleniſſimę ſententię. *Non vult aliquos perire, ſed omnes ad peniten-*

1.Tim.2. *tiam reuerti. Omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Non vult Deus perire animam, ſed retractat cogitans, ne penitus pereat*

Sap.11. *qui abiectus eſt. Et miſereris omnium, quia omnia potes: & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti: nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti. Parcis autē omnibus, quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.* Attende quantum pōderis ſit in illis verbis, *Qui amas animas:* & quàm generalis ratio benignitatis, & clementię afferatur. *Diligis enim omnia, quæ ſunt: quoniam tua ſunt Domine.* In primis autem accurate perpendendus Ezechielis locus cap. 18. vbi quærela multorum inducitur viam Domini iuſtam eſſe negantium, quòd de parentum peccatis puniret filios. Reſpondet autem Dominus præclara illa. *Ecce omnes animæ meæ ſunt. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, & non vt conuertatur a vijs ſuis, & viuat? Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris: & non erit vobis in ruinam iniquitas: proijcite a vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum. Et quare moriemi n*

mini Domus Iſrael? quia nolo mortem morientis dicit Dominus Deus: Reuertimini, & viuite. Quæ reſponſio nulla videtur futura, ſi aut nullo ad peccata reſpectu habito, aut pro ſolo originis peccato multi ad vitam non admittantur, atque adeo ad ſempiternam mortem damnentur. Hinc alibi *Quia hæc non vxor mea; & ego non vir eius. Quia tu ſcientiam repuliſti, & ego te repellam.* Vides nos eſſe, qui initium repulſioni demus, non Deum: quinimo Deum cum quodam dolore, vt inquit auctor non omnino contemnendus Fauſtus, increpare contumeliam reſpuentis, & conqueri non ſolum, quòd peccemus, ſed quòd vocati non obediamus, atque Spiritui ſancto reſiſtamus: quæ tamen querela prorſus inæpta videtur, ſi ipſe non ita nos vocat, vt accedere queamus. Quid enim? tu de me conquereris, quòd ad te non venio, qui per me vires veniendi non habeo, nec tu auxilium affers? Adde multum videri detrahi redemptioni, quæ à Chriſto Domino noſtro facta eſt, neque appellari felicem culpam poſſe, quæ tantum meruerit redemptorem; ſi ante peccatum Adæ omnes, quicumque naſcerentur, ad gloriam eſſent vocati, atque inſtituti, quod omnes theologi fatentur, poſt peccatum vero Adæ, & Chriſti redemptionem pauci duntaxat vocentur, ac ſeponantur, reliquis in illa perditionis maſſa derelictis. Propoſitio quidem illa, Deum omnes homines ſaluos velle, tanti momenti fuit, vt quamuis D. Auguſtinus varijs illam, ac violentis interdum modis interpretari aggrediatur; tamen cum ad articulos ſibi falsò, ſed nonnulla tamen ex ipſius ſcriptis occaſione ſumpta adſcriptos reſpondet, fateri cogatur in ſecundi articuli confutatione, ſinceriſsime credendum eſſe, atque profitendum, Deum velle, vt omnes homines ſalui fiant. Omnino enim & antecedentia, & ſequentia verba plane teſtantur, vniuerſe accipiendam eſſe propoſitionem: quod etiam vidit Proſper. Ac ſanè mirandum magnopere eſt, cum omnes catholici Patres, & ipſe in primis Auguſtinus ita doceant, nō ſolere Deum reuelare cuiquàm prædeſtinationem ſuam, aut reprobationem; ne ſocordiæ, aut deſperationi occaſionem præbeat; qui ab ipſo Auguſtino hæc ſententia excogitari, probarique potuerit; quæ vel vna maxime in ſocordiam, ac deſperationem poteſt impellere. Ac multa quidem ille artificia comminiſcitur; vt his malis aliquid remedijs afferat; ſed leuiora illa eſſe quàm vellemus, facile cuiuis intelligenti lectori conſtabit. Non enim vano, atque ad tetegendum facillimo ſimulationis artificio, ſed ingenue, candideque de ea, quæ in nobis eſt, fide rationem reddere parati eſſe debemus. Hæc igitur mihi aduerſus hanc D. Auguſtini, neque ipſi tamen ſemper probatam ſententiam, & cæteros ferè omnes, qui prædeſtinationis, & reprobationis nullum in voluntate, atque operibus noſtris momentum ſtatuunt, veriſimillime videntur dici: quamquàm ne eam penitus damnemus, ſed potius in bonam partem interpretaturi

Oſee 2. & 4.

Ad obiectiones Vincen. reſponſ. 2.

De bono perſeu. c. 22.

ſuo loco ſimus; debita tam ſancto, ac tam docto, tamque de eccleſia Dei benemerito doctori reuerentia facit: quæ etiam fortaſſe cauſa fuit; cur & ipſe D.Thomas in hac quæſtione interdum paulo reſtrictior fuiſſe videatur.

Quæ Græcorum Patrum ſententiæ aduerſentur. Cap. V.

NEc vero Græcorum Patrum ſententia in nullas, aut exiguas incurrit difficultates. Primum in his, qui in matrum vtero (vt cæteros nunc mittam) ſanctificati ſunt, vix fingi cogitatione poteſt; quid in ea re momenti voluntas ipſorum habuerit. Sic enim præculti, & vndique muniti firmiſsimo gratiæ ſubſidio erant; vt nihil illis à peccati tyrannide metuendum eſſet. Quare non videtur Deus, quòd præſcierit fore, vt illi bene libertate ſua vtantur, idcirco ipſis gratiam, gloriamque paraſſe; ſed potius tantum gratiæ illis paraſſe, & contuliſſe; vt quin libertate ſua rectè vterentur, fieri non poſſet. Ad pueros etiam illos, qui ſtatim poſt Baptiſmum obeunt, prædeſtinandos nulla videtur ſpectari potuiſſe voluntatis propenſio. Contra vero pueri ſine Baptiſmo decedentes, aut ex parentibus infidelibus orti, impietatique & flagitijs innutriti, infideles etiam illi, quibus Euangelium vix, aut ne vix quidem notum eſſe poteſt, vt nationes à Luſitanis, & Hiſpanis non ita pridem inuentæ, antiquitus vero gentes longe diſsitæ à Iudæa, in qua fere ſola notus erat Deus, ſatis videntur indicare multos nulla ſua culpa (peccatum originis ſemper excipio) ad regnum non admitti. Tum vero illud ab hæreticis ſæpe inculcatur, ſumptum quidem aliqua ex parte à ſanctis Patribus, ſed ab ipſis in alienos ſenſus detortum, futurum fuiſſe, vt iuſtitia Dei in tenebris deliteſceret, ac miſericordia tantum laudaretur; ſi omnes homines ſaluos voluiſſet. Nam ſi hoc voluiſſet; omnes quoque ſine dubio ſalutem eſſent conſecuti: voluntati enim eius quis reſiſtit? Ita non habuiſſet in quem iuſtitiæ, ac ſeueritatis ſuę
Rom. 9. exempla ederet. Quod putant illis verbis à Paulo ſignificari. *Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa irę apta ad interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparauit in gloriam,* & quæ ſequuntur in hanc ſententiam. Poſtremò ex ſacris litteris multæ opponuntur auctoritates; quę magnam ſemper moleſtiam exhibuerunt. Nam D.Paulus in epiſtola ad Romanos integris capitibus hoc videtur agere; vt doceat nulla noſtra culpa, aut merito intercedente, ſola Dei voluntate nonnullos ſuſcipi, nonnullos repudiari. Hinc illæ celebres ſententiæ. ***Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali; vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum***

eſt ei,

eſt ei, quia maior ſeruiet minori; ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autē odio habui. Cui vult, miſeretur, & quem vult, indurat. An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? In euangeliis vero ſcriptum eſt. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: illis autem, qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt; vt videntes videant, & non videant, & audientes audiant, & non intelligant; ne quando conuertantur, & dimittantur eis peccata.* & iterum. *Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis; non credebant in eum; vt ſermo Iſaiæ compleretur, quem dixit, Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? Propterea non potuerunt credere; quia iterum Iſaias dixit: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos. Omne, quod dat mihi Pater, ad me ueniet: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum.* Rurſus in actis Apoſtolorum. *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Libuit omnes ferè obſcuriores ſententias proponere; quoniam in his explicandis doctiſsimi homines, qui alioquin hunc locum cumulatiſsime tractarunt, aliquid loci diligentię noſtrę reliquerunt: noſque huic potiſsimum rei hanc tractationem deſtinauimus. Hęc igitur omnia, quę ex ſacris litteris attulimus, eo videntur ſpectare; vt intelligamus ex ſola Dei voluntate pendere prędeſtinationem, ac reprobationem noſtram.

Mar. 4.

Ioan. 11.

Ioan. 6.

Act. 13.

Prædeſtinationis notio accuratius explicata. *Cap. VI.*

QVando igitur ea harum rerum obſcuritas eſt, vt non inutiliter ſępe in manus ſumantur, multiſque modis tractentur, (ita enim facilius ſeſe in conſpectum dabunt;) age primum nonnulla de prædeſtinationis nomine rurſus dicamus: deinde propoſitiones quaſdam ſtatuamus; ad quas tamquàm ad capita explicatio huius quęſtionis referatur: Tum denique in ſecundo libro, quę ab ijs, qui aliter ſentiunt, obijciuntur, refellere, ac propulſare conabimur. Obſeruaui ex ſanctis Patribus, prędeſtinationis nomen apud D. Paulum duobus modis vſurpari. Nam interdum ſignificat deſtinationem certam, quamque euentus omnino ſit comprobaturus; in quam ſententiam dicitur, *Quos præſciuit, & prædeſtinauit:* Interdum vero ſignificat inſtitutionem quidem, deſignationem, deſtinationem ad gloriam, eiuſque conferendę, ſubſidijs etiam datis, voluntatem, ſed quam non ſemper euentus ſequatur, eorum ſcilicet vitio, qui ad optimi parentis voluntatem aggregare

ſuam recuſarunt; oblatamque ſibi gratiam aut non admiſerunt, aut non cuſtodierunt. Ita Epheſios vocat prædeſtinatos, *In quo etiam*
Cap.1. *nos ſorte vocati ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia, ſecundum conſilium voluntatis eius; vt ſimus in laudem gloriæ eius nos, qui ante ſperauimus in Chriſto: In quo, & vos cum audiſſetis verbum veritatis, Euangelium ſalutis veſtræ: in quo & credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hereditatis noſtræ in redemptionem acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius*. Erant igitur Epheſij, ad quos D.Paulus ſcribebat, prædeſtinati, ideſt inſtituti, & electi ad gratiam, & gloriam: nec tamen omnes ad priorem illam, & certam prædeſtinationem pertinere tanta, opinor, aſſeueratione affirmaſſet: quamquam non negemus Epheſios ideo etiam facilius vocari potuiſſe prædeſtinatos; quòd magnam partem in gratia eſſe, ac propterea cæleſtis Regni hæredes veriſimiliter putarentur: quod initio huius diſputationis ex diuis Ignatio, Cyrillo, Eutychiano obſeruauimus. Nec vero me præterit à D.Thoma hanc, quam diximus deſignationem ad gloriam, ſub
Summa de ver. q. 6. art. 1. prouidentia comprehendi; diſtingui autem à prædeſtinatione; quòd prouidentia tantum ſpectat ordinem in finem (quare ex Dei prouidentia omnes homines ad beatitudinem ordinari;) ſed prædeſtinatio ſpectat præterea exitum, & prouentum ordinis; quare ad eos tantum pertinere, qui ſalutem conſequuntur. Verum ſi quis totum illud Pauli caput Græcis interpretibus, & præcipue Chryſoſtomo vſus accurate legerit; facile perſpiciet prædeſtinationis nomine ſignificari aptiſsime potuiſſe voluntatem illam primam, & antecedentem; qua Deus vult omnes homines, & potiſsimum fideles ſaluos fieri, ideoque illos vocat, & illuminat; quemadmodum ſuo loco oſtendemus. Ex quo etiam intelligi poteſt, non firmiſsimum eſſe argumentum illud; quo, & D.
De præd. ſanct. lib 1. c. 17. Eph. 1. Auguſtinus, & alij nonnumquam vtuntur, ſanctitatem eſſe effectum prædeſtinationis, & electionis; eo quòd ſcriptum ſit, *Elegit nos in ipſo ante mundi cõſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius:* Confici enim ex iſtis verbis, nos prædeſtinari, non quoniam ſanctos nos Deus nouerit; ſed vt ſancti eſſemus ipſo donante ſanctitatem. Parum, inquam, firmum argumentum eſt; ſi electionem, & prædeſtinationem iſtam ad voluntatem antecedentem, quemadmodum Græci putant, pertinere intelligamus; qua Deus, vt diximus, vult omnes homines, præcipue fideles, ſaluos fieri, eoque nos vocat, & prouehit; hac tamen conditione, niſi per nos ſteterit, neque ab illius voluntate diſſenſerimus. Similem ſententiam elicit D. Cyrillus Hieroſolymitanus ex
Catech. 2. Eph 2. illis Apoſtoli verbis in eadem epiſtola, *Ipſius factura ſumus creati in bonis operibus, quæ præparauit Deus, vt ambulemus in illis.*] *Creator enim*, inquit, *cum ſit bonus, bonos creauit; creatura vero voluntate propria in amaritudinem conuerſa eſt;* eodemque modo interpretatur D.Cyrillus

rillus Alexandrinus in Commentarijs in Eſaiam. Verum de hac re infra copioſius. Diximus prædeſtinationis nomen duplicem habere notionem. Quocirca, vt res ſit clarior, certam illam, & immutabilem, & quæ fere ſola à ſcholaſticis agnoſcitur, vocabimus conſequentem prædeſtinationem; alteram vero, quæ ex nobis variatur, & habet conditionem adiunctam, ideſt, ſi per nos non ſteterit, nominabimus antecedentem. Quam enim diſtinctionem in Dei voluntate à Damaſceno traditam omnes fere Theologi probarunt; eam commodiſsime ad prædeſtinationem poſſe transferri Turrianus etiam vidit. Quamobrem, quod in libro de prædeſtinatione Dei ſcribitur, mortis prædeſtinationem Adæ intentatam ſub conditione ſi peccaſſet, in Deo fixam fuiſſe, quòd illius peccatum præuidiſſet; idem nos de prædeſtinatione ad gloriam poſſumus dicere; antecedentem illam, quæ conditionem habet adiunctam, fieri iam conſequentem, & certam erga eos, quos vidit impoſitam conditionem impleturos.

lib. 1. in caput 9.

Inter opera D. Auguſt.

Et ante peccatum, & in Chriſtò omnes homines generali, & antecedente prædeſtinatione eſſe prædeſtinatos. Cap. VII.

His ita conſtitutis atque illo adiuncto, quod initio admonuimus, Prædeſtinationem primum ſignificare deſtinationem ad gloriam deinde ex conſecutione quadam præparationem gratiæ; hoc primum enunciatum proponamus; quemadmodum Angeli omnes, priuſquàm pars eorum peccaret, ad vitam beatam deſtinati erant, ita etiam in Adam ante peccatum omnes homines ad eandem fælicitatem, gloriamque antecedente illa prædeſtinatione prædeſtinatos fuiſſe. Hoc vero eſt huiuſmodi; vt vix locum relinquat dubitationi. Tot enim munera in primum hominem, tot, ac tam præclara ornamenta à procreationis initio congeſta ſunt, in poſteros etiam, niſi ille peccaſſet, propaganda; vt qui in ea præſtantiſsima natura & gratia vllam reprobationis vmbram agnoſcat, vix ferendus videatur; omninoque à communi ſanctorum Patrum ſententia deſciſcat. Omnes enim fatentur, factum eſſe hominem rectum, vt ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando frueretur. Sequitur alterum enunciatum, Chriſtum dominum noſtrum pro omnium hominum ſalute, mortem oppetijſſe: ideoque omnes etiam nunc homines antecedenti illa, cui nulla reprobatio opponitur, prædeſtinatione contineri. Ita in Actis Apoſtolorum Paulus ad Athenienſes verba faciens generalem hanc redemptionem prædicat. *Et tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus nunc annunciat hominibus; vt omnes vbique pænitentiam agant: eo quòd ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate, in viro, in quo ſtatuit, fidem*

Act. 17.

fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis. Tertullianus autem non omnibus in rebus malus auctor alium D. Pauli locum ad hanc fere ſententiam adducebat. *Super eſt vt qui habent vxores, ſic ſint, ac ſi non habeant; quia tempus in collecto eſt; & deſierunt vuæ acerbæ à patribus manducatæ, filiorum dentes obſtupefacere.* At contra dicitur à nonnullis, ita ſtatuentibus longe aliam eſſe, quod ad prædeſtinationem pertinet, hominis inſtituti, & reſtituti conditionem. Nam principio quidem eò inſtitutum eſſe hominem; vt niſi peccaret, cum poſteris omnibus ad felicitatem perduceretur. At poſtquam ille lapſus eſt, Deum non omnes Adæ filios ſaluos velle, ſed alijs quidem ſola voluntate ſua, cuius nulla ratio afferri queat, ſalutem per Chriſtum tribuere, alios autem vel nullo ad peccata reſpectu habito, vel pro ſolo originis peccato condemnare, & ab illis quidem gratiam neceſſario ſuſcipi; his vero aut non dari, aut dari quidem, vel potius oſtentari, ſed ab ipſis neceſſario repudiari; quod noſtræ tempeſtatis hæretici gratiæ Dei, tam re hoſtes, quàm verbo amici, cupidiſsime arripuerunt. Sed nos enunciatum noſtrum ex ijs, quæ tertio capite diximus, ſatis comprobatum eſſe confidimus. Clara enim ſunt etiam in nouo teſtamento, & luculenta teſtimonia, Deum eſſe diuitem in omnes: Non eſſe perſonarum acceptatorem: Velle omnes homines ſaluos fieri: Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, non ſolum pro peccatis noſtris, ſed etiam pro peccatis totius mundi: Ideo pro omnibus peccatoribus hortatur Apoſtolus, vt preces fundamus; quoniam Deus omnibus ſalutem cupit: neceſſe autem eſt, niſi verbis vim afferre velimus, vt quemadmodum vere, & proprie pro omnibus peccatoribus preces adhiberi iubet; ita etiam proprie, & vere omnium hominum ſalutem à Deo quæri intelligamus; quandoquidem hoc pro cauſa illius affertur. Ac ſane nulli, quod ſciam, ſanctorum Patrum, antequàm Pelagij hæreſis eccleſiam perturbaret, tale quippiam in mentem venit, in Chriſti aduentu hanc hominum eſſe factam diſtinctionem, vt ex primario Dei propoſito nullis noſtris, aut recte factis, aut proprijs cuiuſque criminibus intercedentibus hi quidem vocentur ad vitam æternam, illi vero, & quidem multo plures perpetuis cruciatibus addicantur. D. Baſilius ita in regulis docet. *Qui propter peccatorum noſtrorum remiſſionem vnigenitum ſuum miſit; quantum in ipſo eſt, omnibus peccata remiſit.* Ita multi alij Patres, ſed nemo grauius ſanctiſsimo, & doctiſsimo Leone Pontifice, cuius hæc ſunt verba.

Serm. 2. de natiu.

Deus omnipotens, & clemens, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus miſericordia eſt, ſtatim vt nos diabolica malignitas veneno ſuæ mortificauit inuidiæ; prædeſtinata renouandis mortalibus ſuæ pietatis remedia inter ipſa mundi primordia præſignauit, denuncians ſerpenti futurum ſemen mulieris, quod noxij capitis elationem ſua virtute contereret: Chriſtum ſcilicet in carne venturum Deum hominemque ſignificans, qui natus ex

tus ex virgine violatorem humanę propaginis incorrupta natiuitate damnaret. Nam quia gloriabatur diabolus ſua fraude deceptum hominem diuinis caruiſſe muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis ſubiiſſe ſententiam, ſeque in malis ſuis quoddam de prguaricatoris conſortio inueniſſe ſolatium; Deum quoque iuſtę ſeueritatis exigente ratione erga hominem, quem in tanto honore condiderat, antiquam mutaſſe ſententiam; opus fuit dilectiſsimi, ſecreti diſpenſatione conſilij; vt incommutabilis Deus, cuius voluntas non poteſt ſua benignitate priuari, primam pietatis ſuę diſpoſitionem ſacramento occultiore compleret, & homo diabolicæ iniquitatis verſutia actus in culpam cōtra Dei propoſitum non periret. Audis quàm eloquenter grauiſs. auctor oſtendat non aliud eſſe Dei in homine creando, & redimendo conſilium, ſed primam ſuæ pietatis diſpoſitionem ſacramento occultiore compleſſe: prouidendum enim fuiſſe, ne diabolus aduerſus Deum diu gloriari poſſet, quòd illum ad antiquam mutandam ſententiam adduxiſſet. Equidem quibus ille clarioribus, ac ſignificantioribus verbis ſententiam noſtram confirmare potuerit, non reperio. Neque vero, vbi animus ab aduerſariorum moleſtijs ſolutus ſit, cuiquam veriſimile factum iri vnquàm putem, a Patre illo miſericordiarum, ac Deo totius conſolationis, qui ſuauis vniuerſis, cuius miſerationes ſuper omnia opera eius, qui ita proprio filio non pepercit, vt cum exiguus illius labor omnem implere iuſtitiam potuerit, tot, ac tam largos ſanguinis fluuios ex ſacroſancto illo corpore manare voluerit, qui ſexcentis mundis abluendis, ac reſtaurandis ſufficiant; ſic in anguſtum eſſe concluſam redemptionem, vt adhuc maiorem hominum partem eò tantum procreet, quò æternis cruciatibus torqueantur, pænamque acerbiſsimam eorum peccatis ſtatui, qui ea non committere non potuerunt, aut etiam (nam hucuſque impura hæreticorum, & audax blaſphemia peruenit,) quæ Deus ipſe ſub illorum perſona admiſit. Quin illud multo probabilius viſum iri opinor, non modo poſt ſalutarem illum aduentum, ſed etiam nullo vnquàm loco, aut tempore auxilium diuinum ijs defuiſſe, qui quod in ſe erat, præſtiterunt. Hinc auctor librorum de vocatione gentium (nam ſiue D. Ambroſius, ſiue B. Proſper fuerit; non eſt cur nos pæniteat auctoritatis) *Tribus,* vt inquit, *veraciſſimis & ſaluberrimis definitionibus nititur: quarum vna profitetur ęternum, & proprium eſſe diuinę bonitatis, vt omnes homines ſaluos fieri velit, & in agnitionem veritatis venire: altera ſimul prędicat omnem hominem qui ſaluus fit, quique ad agnitionem veritatis venit, Dei auxilio iuuari, ac regi, vtque in fide, quę per dilectionem operatur, permaneat, cuſtodiri: tertia vero temperanter, & ſobrie proteſtatur non omnem voluntatis Dei comprehendi poſſe rationem.* His tribus cauſæ fundamentis iactis, ac ſtabilitis, oſtendit deinceps multis argumentis, nullis vnquàm ſeculis defuiſſe auxilium gratiæ, datumque vnicuique ſine merito, vnde tendere

D. Cyrillus catech. 2. dere poſſit ad meritum. Græci autem Patres ſæpe docuerunt, Deum longo ante diluuium interuallo arcam faciendam præcepiſſe; vt tanti D. Chryſoſt. Theodoretus, & alij. operis aſpectus, & fama homines ad pœnitentiam adduceret; Abrahæ, ac cæteris illis præclaris Patriarchis, tam crebras, atque incommodas peregrinationes ſuſcipiendas mandaſſe; quò iuſtitiæ, & religionis lumen quàm plurimis nationibus præferrent, multiſque alijs modis hominum ſaluti conſuluiſſe. Quamobrem D. Thomas, cuius auctoritas Summa de ver. q. 14. art. 11. & per ſe maxima eſt, & in hac cauſa eo maior habenda, quo interdum, vt admonuimus, reſtrictior fuit; cum dubitaſſet, vtrum ad ſalutem neceſſaria ſit fides explicata, propterea quòd fieri poteſt, vt quis in ſyluis inter feras nutriatur; ideoque explicatam fidem habere non poſſit, ex quo ſi fides iſta neceſſaria eſſet, neceſſario iſte damnaretur, quod eſt abſurdum; dubitationem his verbis ſubſtulit. *Non ſequitur inconueniens, poſito quòd quilibet teneatur explicite aliquid credere, etiam ſi in ſyluis, vel inter bruta animalia nutriatur. Hoc enim ad diuinam prouidentiam pertinet; vt cuilibet prouideat de neceſſarijs ad ſalutem; dummodo ex parte eius non impediatur: ſi enim aliquis taliter nutriatur, & ductum rationis naturalis ſequeretur cum appetitu boni, & fuga mali; certiſſime eſt tenendum; quòd Deus ei per internam inſpirationem reuelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem dirigeret; ſicut miſit Petrum ad Cornelium.* Non me latet, nonnullos ita huic loco occurrere neminem ſequi ductum rationis naturalis ſine ſpeciali Dei auxilio; quod auxilium non omnibus hominibus ſed prædeſtinatis dumtaxat concedatur. Mihi vero iſti in re omnium maxime ſeria ludere plane videntur. Propoſita enim dubitatio ex eo pendebat; quòd ſi fides neceſſaria ſit, aliquos neceſſarium ſit damnari: quod tamquàm perſpicue abſurdum reijcitur. At ſi iſtorum modo reſponſionem interpræteris; nonne eadem dubitatio manet? nonne idem abſurdum ſequitur, & latius etiam patet? Non enim paucos tantum illos, qui inter feras nutriuntur, ſed quamplurimos homines, eos ſcilicet, quibus ſpeciale auxilium concedi negas, neceſſarium erit damnari. Nulla eſt igitur iſtorum interpratatio. In eandem ſententiam præclare ſcri-Cap. 159. pſit idem D. Thomas lib. 3. contra Gentiles: quinetiam alibi hoc docuit. 1. 2. q. 89. art. 6. *Eum, qui cum ad annos, vt inquit, diſcretionis peruenerit, de ſe ipſo deliberet; ac faciat, quod in ſe eſt, ideſt ſe ad verum finem ordinet, per gratiam conſequi remiſſionem culpæ originalis:* quaſi omnino ijs, qui ſuas partes præſtant, non denegetur gratia. Sed hic locus ſecundo etiam libro vrgendus, accurateque tractandus. Interea hoc ſit conſtitutum nullo fortaſſe non tempore, ſed certe poſt ſalutarem illum Domini aduentum omnes homines antecedente iſta, de qua nunc loquimur, prædeſtinatione eſſe ad gloriam prædeſtinatos.

Præde-

Prædeſtinationem antecedentem ſolius diuinæ bonitatis munus eſſe. Cap. VIII.

ADdamus tertium enunciatum, prædeſtinationem iſtam antecedentem, gratiæque oblationem nulla eſſe hominum facta, quæ promereant, aut antecedant; ſed vnius liberalitatis, bonitatisque diuinæ munus eſſe. In quo quidem dogmate confirmando, Eccleſiæ auctoritate iam interpoſita, & Pelagianorum hæreſi iugulata, non eſt, quòd laboremus. Nam exploratiſsimum eſſe nobis debet hanc prædeſtinationem antecedentem, quam ſtatuimus creantis, & redimentis Dei de hominibus beandis quaſi primum quoddam eſſe conſilium, auxilijque præparationem, nulla noſtra merita eſſe quæ præeant. Non enim ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri; alioqui gratia non eſſet gratia. Non enim ex meritis, ſed contra, ac merueramus, Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis totius mundi; Omnem hominem illuminans venientem in hunc mundum, omnes diligens, neminem, quantum ad antecedentem ſuam voluntatem pertinet, reprobans. Venit enim in mundum peccatores ſaluos facere, ne perderet, quos condidit, vt inquit Ambroſius, ac ne fruſtra tam nobilis creatura peccato ſubdita facta eſſe videretur; vt Diuus Thomas; Deus vnus omnium diues in omnes, & ſuper omnes, qui inuocant eum. Ita D. Cyrillus Hieroſolymitanus diſputans de jis, qui ad ſponſi nuptias vocantur, cat. 3.
dicebat, *Vocat omnes ſimpliciter, quoniam liberalis eſt gratia; & ſonora voce præconum congregat omnes ſimpliciter, quoniam liberalis eſt gratia*. Quamobrem gratiæ, quantas maximas capere animi noſtri poſſunt, habendæ ſunt Deo; qui iuſtificat impium; quoniam hæc voluntas Dei eſt bona, beneplacens, vt eum qui fide venit ad Chriſtum, non eijciat foras. Ex hoc tertio enunciato ſatis conſtat nos minime cum ijs ſentire, qui putant, gratiam illis tantum paratam eſſe, qui ea bene vſuri ſunt: nulli enim non propoſitam putamus. Satis multa de prædeſtinatione antecedente diximus: nunc ad conſequentem, quæ proprie, & abſolute prædeſtinatio nominatur, accedamus.

In prædeſtinatione conſequente includi prænotionem propenſionis noſtræ. Cap. IX.

IAm vero de conſequente, & proprie dicta prædeſtinatione, hoc enunciatum proponimus; ad generalem illam, de qua locuti ſumus, prædeſtinationem, diuinumque nobis oblatum auxilium, ac-

cedente in adultis hominibus, (nam de ijs, qui ante pubertatem obeunt, ſecundo libro) voluntatis, electionisque prænotione, exiſtere eorum hominum, quos Deus ſibi tempore ſaltem morti proximo aſſenſuros præuidit, abſolutam, certamque prædeſtinationem; vt iam hoc illud ſit; quod Princeps Apoſtolorum dixit, certam facere vocationem, & electionem noſtram: ſicuti contra eorum quos diſſenſuros præuidit, exoritur reprobatio. Etenim cum optimus Pater liberaliſsima illa ſua miſericordia nos omnes per Chriſtum ad vitam æternam vocet, ſuæque gratię auxilium offerat (quam antecedentem prædeſtinationem vocauimus) hoc vero auxilium nonnulli accipiant libentiſsime, eoque bene vtantur, nonnulli aut reijciant, aut male vtantur; ita vt illi quidem quantumuis ſępe, & grauiter in hac vita offenderint, tamen tempore ſaltem morti proximo in gratia Dei conquieſcant, iſti autem, tametſi interdum gratiam ſuſceperint, mortis tamen tempore expertes gratiæ reperiantur; iam certæ, & abſolutæ cuidam prædeſtinationi locus eſt, cui reprobatio opponitur: poteſt enim libera voluntas noſtra, dum huius vitæ curriculum peragimus, excidere à gratia, rurſusque Dei benignitate, quoad vixerimus, eam recipere. Et quantum quidem ad nos pertinet, pendet interim noſtra prædeſtinatio, quouſque moriamur. Nam quod in Angelo prolapſio fuit; id in homine eſt mors. Poſt mortem enim perit fuga, ideſt nulla ſeſe offert euadendi ratio; ſed perpetuò, aut in bonis regnandum, aut in malis tabeſcendum. Ita dum viuimus, à prædeſtinatione in reprobationem, à reprobatione in prædeſtinationem viciſsim transferimur; quod vulgo apud Theologos dicitur: ſi non es prædeſtinatus, fac vt prædeſtineris: ſi nondum traheris, ora, vt traharis. Quò etiam pertinet parabola illa (quomodo à Chryſoſtomo explanatur) de Zizanijs non extirpandis; ne vnà cum illis, inquit, frumentum etiam reuellatis, ideſt frumentum, in quod zizania conuertentur. Idem fere Athanaſius in homilia de ſemente his verbis, *Sed habet quiddam admirabile Agricolæ eccleſiaſtici ſermo; quippe qui, & zizanias frumenta efficiat in ſingulis; prout eorum voluntas fuerit. Cum enim liber ſit hominum motus, & ſui arbitrij mens; in te ſitum eſt, velis ne te ipſum lolium fieri, & pabulum brutorum animalium, an potius in frumentum mutari*. At quod ad Deum pertinet; ipſe quidem, cuius oculis nuda ſunt omnia, iam ante ſæcula vidit, vel potius in ſumma illa ęternitate videt Petrum, variante quidem interdum libero eius arbitrio, ſed cum mors imminet, vocationi aſſentiente, gratiam recepturum & cum ea deceſſurum: Iudam vero eodem ſupremo die gratiam abiecturum, eiuſque expertem obiturum. Quamobrem certiſſime Petrum conſequente prędeſtinatione ad vitam prędeſtinat: Iudam reprobat, damnatque ad mortem. Ita prędeſtinatio apud Deum certa eſt; apud nos, dum viuimus, pendet: quod his verbis docebat

Proſper. *Prædeſtinatio Dei, etſi apud nos, dum in præſentis vitæ periculo verſamur, incerta eſt, apud illum tamen, qui fecit, quæ futura ſunt, incommutabilis permanet.* Neque vero certitudo illa tollit libertatem noſtram; quinimmo adultos non prædeſtinat abſolute Deus, niſi quos videt libere ſeſe gratiæ commiſſuros, generalemque ipſius prędeſtinationem ipſos ſibi ſpecialem, propriamque facturos; neque reprobat; niſi quos videt libere diſſenſuros, ingratosque aduerſus gratię munus futuros, ſponteque à prædeſtinatione illa coniunctam conditionem habente, antecedenteque ipſius voluntate exciſuros. Neque vero par eſt operum, voluntatisque noſtrę facultas in prędeſtinatione, atque in reprobatione. Nam reprobationis cauſa principalis eſt alienatio, ac diſceſſio voluntatis noſtrę à Deo, noſtraque improbitas: prędeſtinationis vero ſumma cauſa eſt benignitas Dei; ſine qua nullum eſſet operum noſtrorum meritum, nulla dignitas; quamuis hęc quoque opera neceſſaria ſint, vt diximus; nimirum ita ſtatuente Deo, vt homo ipſius auxilio adiutus ſuę ſibi quodammodo cauſa eſſe ſalutis queat; ſine ipſo autem ſui ſit auctor interitus. Ita Procopius Gazęus notabat ex verbis ipſis ſacrę ſcripturę, ideo prædeſtinatum eſſe Abraham, in quo benedicerentur omnes nationes terrę, quoniam ſciebat Deus, *Quod præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini & faciant iudicium, & iuſtitiam.* Quamobrem quemadmodum D. Thomas hoc argumento oſtendebat, *Præſcientiam meritorum non eſſe cauſam, vel rationem prædeſtinationis, quòd Deus non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit, ſicut autem ſaluos nos fecit, ita prædeſtinauit nos ſaluos fieri;* ita ſimili argumento in contrariam partem nos vti poſſumus. In iuſtificatione ita nos Deus ex miſericordia ſaluos facit, vt tamen aſſenſum, ac propenſionem voluntatis noſtrę requirat: ergo & eadem conditione prędeſtinauit nos ſaluos fieri. Ita ſi in iuſtificatione partes aliquę ſunt voluntatis noſtrę; erunt etiam in prędeſtinatione: aut ſi in hac non ſunt neque etiam in iuſtificatione erunt: quod Eccleſia catholica repudiat. Sane ipſemet D. Auguſtinus hoc docet. *Inter gratiam porro & prædeſtinationem hoc tantum intereſt, quòd prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio; gratia vero iam ipſa donatio:* idque non animaduerſum multorum ait Sotus errorum fuiſſe cauſam. Ergo quemadmodum gratia donatur ijs qui eam, cum poſſent reijcere, admiſerunt; ita etiam ijs pręparatur, quos Deus admiſſuros, cum poſſent reijcere, ante omnia tempora cognouit. Quocirca multis locis non negauit D. Thomas prędeſtinationem ſpectare aliquo modo ad illud, quod nos aſſerimus, tamquàm ad illud, quod ad gratiam quodammodo diſponit, & gloriam meretur. Facere non poſſum, quin eiuſdem ſanctiſſimi, ac doctiſsimi Patris prçclara, licet ab alijs recitata, & ipſe reci-

Reſpóſione 12. ad obiectiones Vincent.

In comm. in Gen. c. 18.

1. p. q. 23. ar. 5.

Conc. Trid. ſeſs. 6. c. 5. & can. 4.

De prædeſt. Sãctorũ lib. 1. c. 10.

Summa de veritate q. 5. art. 2.

Cap. 159. tem verba ex lib. 3. contra gentes: quibus verbis B. Ioannis Damaſceni lib. 2. de orthodoxa fide expoſitam ſententiam & ſequitur, & explicat. *Conſiderandum eſt, quòd licet aliquis per motum liberi arbitrij diuinam gratiam nec promereri, nec aduocare poſſit; poteſt tamen ſeipſum impedire, ne eam recipiat. Dicitur enim de quibuſdam Iob. 21. [Dixerunt Deo, recede à nobis: ſcientiam viarum tuarum nolumus:] & Iob. 24. [Ipſi fuerunt rebelles lumini.] Et cum hoc ſit in poteſtate liberi arbitrij, impedire diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire; non immerito in culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni. Deus enim quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare. Vult enim omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vt dicitur 1. ad Timot. 2. Sed illi gratia priuantur; qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant: ſicut Sole mundum illuminante in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc malum ſequitur; licet videre non poſſit, niſi lumine Solis præueniente.* Quod etiam Fauſti non mali omnibus in rebus auctoris fuit. *Omnibus*, inquit, *oblatum eſt; quod ab omnibus repoſcendum eſt: iuſtitia eſt quaſi fons quidam in medium huius mundi expoſitus, & in commune conceſſus: ad hauriendum vniuerſis patet: vt largitori merito reus ſit, qui haurire neglexerit.* In hanc ſententiam idem D. Thomas alibi etiam hęc ſcripſit. *Aliquem carere gratia ex duobus contingit: tum quia non vult recipere: tum quia Deus non ei infundit, vel non vult infundere. Horum autem duorum talis eſt ordo; vt ſecundum non ſit, niſi ex ſuppoſitione primi. Cum enim Deus nihil velit, niſi bonum; non vult aliquem gratia priuare; niſi ſecundum quòd bonum eſt. Sed quòd aliquis careat gratia, non eſt bonum ſimpliciter: vnde hoc abſolute conſideratum non eſt volitum à Deo. Eſt tamen bonum, vt careat gratia; ſi eam habere non vult, vel ſi negligenter ad eam habendam ſe præparat; quia iuſtum eſt, & hoc modo eſt volitum à Deo.* At enim in prima parte ita docuit ipſam quoq; pręparationem ad gratiam eſſe effectum pręſtinationis: neque enim hoc fit, niſi per auxilium diuinum: *Conuerte*, inquit, *nos Domine ad te, & conuertemur.* Mihi autem veriſsime videtur reſpondere Henricus, tametſi ad bonum vſum libertatis noſtrę concurrant ſimul gratia, & voluntas, tamen ſuo modo concurrere gratiam, & ſuo modo voluntatem: ceteroqui voluntas non efficiendi ſocia, & cooperans ſtatuenda eſſet, ſed verum inſtrumentum, atque inanimis ſimile. Non me fugit oppugnari à Caietano hoc reſponſum ita dicente, voluntatem noſtram concurrere quidem alio modo, quàm gratiam gratum facientem, ſed non alio modo, quàm gratiam prædeſtinationis: ſub hanc enim cadere non ſolum bonum libertatis vſum, ſed etiam modum, quo eſt à nobis. Sed leuiſsima iſthęc mihi oppugnatio videtur. Nam ipſemet D. Thomas docet pręſtinationem nihil ponere in pręſtinato: ſed cum in actum perducitur, tunc vocationem, & magnificationem eſſe, quę aliquid

Lib. 1. de lib. arb. c. 10.

In tract. de prædeſt. c. 6.

q. 23. ar. 5.

aliquid ponat. At cum vocamur, & magnificamur; non eſt cunctandum profiteri, aliquid nos ex nobis afferre: Ergo, vt recte libertate noſtra vtamur, non eſt ſic integra cauſa ea, quæ per prædeſtinationem datur, gratia; vt non etiam ſuo modo voluntas concurrat. Scilicet acerrimo fuit ingenio Caietanus: ſed non ſingula illius verba ſingula oracula ſunt. Multo melius probatus ille pater Beda. *Sicut prædeſtinatio ad mortem*, inquit, *non cogit malos ad mortem; ſic etiam prædeſtinatio ad vitam non cogit bonos, vt ſaluentur: ſed cum Dominus bonos ad vitam prædeſtinauit; ita eos prædeſtinauit, vt ipſa ſua prædeſtinatio meritis, & precibus noſtris obtineatur. Nonne enim Dominus Abrahæ dixit, [In Iſaac vocabitur tibi ſemen?] Sed licet in Iſaac promiſiſſet Dominus fœcunditatem ſeminis; tamen vxor illius Iſaac fuit ſterilis. Orauit Iſaac; & dedit Dominus conceptum Rebeccæ. Si ergo promiſit Deus fœcunditatem, & dedit ſterilitatem; Iſaac autem orauit; quid aliud eſt, niſi quòd oratio prædeſtinationem obtinuit? Vnde colligi poteſt; quia ita Deus nobis ſua bona promittit; vt tamen labore noſtro acquirantur. Quòd ſi voluerimus; ad laborem in omnibus, quæ bene agimus, nobis cooperabitur.* De prædeſtinatis ad vitam loquitur: ac tamen inquit, *Si voluerimus:* vt oſtendat nos etiam pro modulo noſtro aliquid afferre. Dominicus quidem Sotus clarus in primis theologus in commentarijs in epiſt. ad Rom. ita docet, in actibus conuerſionis Magdalenæ nullam eſſe agnoſcendam rationem veræ cauſæ ad illam prædeſtinandam, niſi aſſenſum liberum, quem gratiæ præbitura erat: id vero neminem eſſe adeo hæbeti ingenio, qui negare poſsit. Hoc igitur vno (quod tamen vtinam ſubtiliores aliqui homines interdum non negarent) nos contenti ſumus: neque aliud eſt, quod nobis dari poſtulemus. Igitur (vt eo, vnde diſceſsimus, reuertamur) ex prædeſtinatione antecedente offertur gratia, nullis noſtris meritis intercedentibus: Quòd ſi oblata gratia grato animo à Petro accipienda ſit, atque in extremo præſertim vitæ curriculo retinenda; iam apud Deum, cui omnia ſunt præſentia, exiſtit conſequens; & certa Petri prædeſtinatio: ſin reijcienda, aut abijcienda; reprobatio. Eadem in Angelis prædeſtinationis, & reprobationis ratio fuit. Satis enim inter Theologos conſtat, Dominum non diuiſiſſe Angelos, antequam eos conderet, in duas partes; quarum vnam prædeſtinaret ad vitam, alteram damnaret ad mortem; ſed omnibus gratię ſuæ auxilium obtuliſſe: mercedis verò diſparitatem ex eorum operibus, prout bona, vel mala fuerunt, extitiſſe. Non igitur video, quid cauſæ ſit; quamobrem de hominum genere, non idem ſtatui rectiſsime queat. Ergo ſi quæratur à nobis (locus enim iſte valde vrgendus eſt) quæ nam cauſa ſit noſtræ iuſtificationis, quibusque illa meritis debeatur; reſpondebit pro nobis ille egregiè charus Diſcipulus, *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Sin autem pergas interrogare; cur igitur iſte,

In lib. quæſtionū quęſt. 13.

Gen. 21.

Sentētia Soti in digreſſione de prędeſtinatione.

Ioan. 1.

& non ille iuſtificatur; rectè putamus reſponderi, gratiam quidem omnibus eſſe communem, ſed ab iſto libenter ſuſcipi, ab illo libere repudiari. *Quoties enim*, inquit, *volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas; & noluiſti?* Hinc D. Cyprianus de loco illo Euangelico diſputans, *Nunquid & vos vultis ire?* ita dictum à Domino docebat; vt ſeruaret legem, qua homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio conſtitutus ſibimetipſe vel mortem appetat, vel ſalutem. Item D. Cyrillus Hieroſolymitanus, *Ipſius quidem eſt*, inquit, *qui lucem omnibus affert, plantare, & rigare; tuum vero, fructum facere: Dei eſt gratiam conferre; tuum vero acceptare, & cuſtodire:* & alibi. *Liberalis enim eſt Deus; & propenſus ad beneficentiam: expectat tamen cuiuslibet propriam voluntatem.* Sed innumerabiles ſunt huiuſmodi ſententiæ ſanctorum Patrum. Ecquid igitur cauſæ eſt, cur non idem de prædeſtinatione iudicium fiat; cum prædeſtinatio, vt Theologi docent, ſit anticipata quædam iuſtificatio, & glorificatio? Ergo in æternitate ſua conſtituit Deus auxilium gratiæ ſuæ omnibus offerre; quos autem nouit gratos fore, prædeſtinauit; quos ingratos, reprobauit: Ita tamen, vt ſi cauſam efficientem, ac meritoriam afferri poſtules; non aliam, quàm Dei miſericordiam, & Chriſti iuſtitiam afferamus: Sin autem quæras, Vtrum præterea apparatus quidam, atque, vt inquiunt, diſpoſitio neceſſaria ex nobis requiratur; plane in adultis requiri; hancque eſſe conſenſus noſtri, & operum prænotionem reſpondeamus. Quod à Soto etiam diximus concedi. Quo loco illud etiam valde attendendum eſt, ſi prędeſtinationem accipias, quatenus id tantum ſpectat, quò potiſsimum refertur, ideſt deſtinationem ad gloriam; veriſſime dici prędeſtinationem conſequentem, ideſt immutabile decretum, & abſolutam voluntatem nos beandi ex noſtris meritis proficiſci; merita enim noſtra ſunt, quę vt pręſentia nos perducunt ad gloriam; ita pręuiſa eodem deſtinant: prędeſtinatio enim hac notione nihil aliud eſt, quàm anticipata glorificatio: neque idcirco diuinam benignitatem non agnoſcimus; cui noſtra eſſe merita placuit, quę ſua ſunt dona. Sin autem in prędeſtinationis nomine ex conſecutione quadam donationem etiam gratiæ includi velis; iam totam prędeſtinationem nullis meritis deberi (gratia enim gratis datur) ſed tamen in prędeſtinando pręnoſci aſſenſum noſtrum veriſsime, opinor ſtatues. Hac ſecunda notione accipiebat prædeſtinationem Sotus; cum negabat merita noſtra cauſam eſſe prędeſtinationis ad gloriam.

Matt. 23. | Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. | Ioan. 6. | catech. 1. | In præfatione. | In eadem digreſſione.

De peculiari, & eximia prædeſtinatione. *Cap. X.*

HAec, de qua hucuſque locuti ſumus, ſiue antecedentem, ſiue conſequentem ſpectes, ordinaria, vt ita dixerim, & vſitata prędeſtinatio eſt; qua Deus omnes homines ordinat, inſtituitque ad vitam æternam, aptum etiam illis, quantum ſatis ſit, auxilium pręparans. Cęterum, & altera quędam peculiaris eſt; qua certos homines efficacius, quàm reliquos ſolitus ſit, vocare inſtituit. Quam quidem prædeſtinationum differentiam ſubtiliſsime ex illis D. Pauli verbis, *Saluator omnium hominum, maxime fidelium,* Proſper elicuit. *Dicendo enim, [qui eſt Saluator omnium hominum,] confirmauit bonitatem Dei ſuper vniuerſos homines eſſe generalem; adijciendo autem, [maxime fidelium,] oſtendit eſſe partem generis humani; quæ merito fidei diuinitus inſpiratæ ad ſummam, atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficijs prouehatur: quod vtique nulla iniquitate agitur iuſtiſſimi, & miſericordiſſimi Dei; cuius iudicium in his diſpenſationibus non cum arrogantia diſcutiendum; ſed cum tremore laudandum eſt: ſi quidem in ipſis quoque fidelibus populis (quod iam ſuperius oſtenſum eſt,) non eadem omnibus nec paria conferantur; & ante vlla humanorum pondera meritorum diſſimillima diuinorum menſura ſit munerum.* Huc illa ex ſacris litteris ſpectant. *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. Non fecit taliter omni nationi: & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Veh tibi Chorozain, veh tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro, & Sidone facta eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis; olim in cilicio, & cinere pęnitentiam egiſſent. Et tu Capharnaum vſque in infernum deſcendes; quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quę factę ſunt in te; forte manſiſſent vſque in hanc diem. Tu enim beatus es pro multis, & vocatus es apud altiſſimum, ſicut & pauci.* Ac ſanè quis neget maioribus inuitamentis allici nonnullos ad pietatem, quàm alios, maioribus confirmari miraculis, viuidioribus excitari vocibus, acrioribus incitari ſtimulis? Quis neſcit poſt Domini aduentum quaſi pleno fonte manaſſe gratiam in gentes; cuius antea exiguę tantum guttæ ſtillabant? In hac autem gratiæ differentia dari etiam altiſsimum quendam gradum; ad quem quicumque euehitur, a peccato omnibus modis ſit liber, vt ne longum faciam, beatæ Virginis inuiolata, integraque ſanctitas docet. Neque vero eſt; quòd propterea ij, quibus minus gratiæ impertitur, iniuriam ſibi fieri querantur. *Licet enim mihi*, inquit, *quod volo facere. Tolle quod tuum eſt, & vade.* Quin potius illud nobis in mentem veniat, numquam ſatis magnas ei gratias à nobis haberi poſſe, qui omnibus tantum auxilij præbere dignatur; quamtum ad ſummum

[Margin: 1. de vocatione gen. c. 10. — Eſa. 1. — Pſal. 147. — Matth 11. — Eſdræ 4. c. 10. cuius libri non eſt contemnēda auctoritas. — Matth. 20.]

mum illud bonum conſequendum ſufficiat. Ac tamen non ſolum docti quidam homines ex recentioribus, ſed etiam, vt initio diximus, Græci Patres nonnullas huius varietatis rationes attulerunt; quarum fortaſſe præcipua (nam idcirco plus illis gratiæ datum eſſe à Deo, quoniam præuideret optime illos illa vſuros, vix audeo dicere; nec tamen impedio, quominus alij dicant) eſt beneuolentia Dei erga maiores, & propinquos; cuius beneuolentiæ fructum etiam in poſte-
Eccl.44. ros, & gentiles extare vult. *Filij enim eorum*, inquit, *propter illos vſque in æternum manent*. Ad Iſaac quidem, vt cæteros hunc mittam;
Gen.26. dictum eſt, *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes, eò quòd obedierit Abraham voci meæ*; ac de reliquis Patriarchis, Dauide, Prophetis ſi-
Cap.4. milia quædam leguntur. Contra apud Oſeam de reprobatis. *Quia tu ſcientiam repuliſti; & ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi; &*
D. Bon. lib. 1.diſt.41. q. 1. *quoniam oblita legis Dei tui; & ego obliuiſcar filiorum tuorum*. Quare apud Theologos celebris eſt illa diſtinctio; aliud eſſe meritum congrui, aliud digni, aliud condigni: meritum congrui vocant, quando peccator facit, quod in ſe eſt ad ſuam ſalutem: meritum condigni; quando iuſtus, & iam gratiæ particeps bonis operibus ſibi ipſi gloriam promeretur: meritum digni; quando iuſtus pro alterius ſalute, & gloria intercedit. Fieri igitur poteſt ex merito digni, vt iuſti, Deoque accepti hominis poſteris, propinquis, amicis maius, atque amplius gratiæ munus donetur. Quæ autem opera ſint apta ad exorandum, placandum, conciliandum Deum, aut pro ſe quis, aut pro alio intercedat; ille nouit; qui illuminat abſcondita tenebrarum, quique omnia iuſtiſsimis, tametſi interdum obſcuris ponderibus examinat: & cum Paulo confugiendum ad illud eſt, O altitudo diuitiarum ſcientiæ, & ſapientiæ Dei: magnopereque probanda eſt illa Proſperi ſententia multas diuinorum operum cauſas ab humana intelligentia eſſe ſubductas; vt cum in temporibus, in nationibus, in familijs, in paruulis, in nondum natis quædam aut varie, aut inſigniter geſta noſcuntur; non ambigamus ea ex illis eſſe; quæ iuſtus, & miſericors Deus in hoc tranſituro ſæculo noluit ſciri. Stet igitur illud; quamuis omnibus hominibus tantum auxilij diuinitus detur, quantum ſatis ſit ad præſtandos incolumes; tamen vni efficacius dari, quàm alteri, & certis quibuſdam perſonis multo efficaciſsimum; cui quidem efficaciſsimo auxilio altiſsimus etiam reſpondeat gloriæ, æternaque felicitatis gradus: atque in his, vt diximus, peculiaris, atque eximia prædeſtinatio cernitur. Hanc fortaſſe prædeſtinationum differentiam B. Ioannes in Apocalypſi ſignificauit; cum certum ſignatorum numerum in vnaquaque Tribu primum retulit; ac deinde turbam quamdam magnam, quam dinumerare nemo poterat, in comitatu Agni ſe vidiſſe profeſſus eſt; vt hæc ad vſitatam prædeſtinationem, illi ad peculiarem eximiamque

perti-

pertineant. Idem fortaſſe potuit indicari facto illo Noe, cum Chanaam quidem maledixit (quod maledictum reprobationi reſpondet;) reliquis autem duobus filijs Sem, & Iaphet, nón æqualiter benedixit; ſed ipſum Sem potiore loco conſtituens, potiorem fortaſſe prædeſtinationem deſignauit. In hac igitur præſtantiore, atque extraordinaria iuſtificandi, & prædeſtinandi ratione Deus communi illo auxilio, quod omnibus eſſe paratum docuimus, minime contentus, inſignibus adeò priuilegijs aliquos proſequitur, itaque efficaciter mouet, non quidem vim afferens voluntati, ſed ſuauiſsime, ac tamen firmiſsime illam ad aſſentiendum præparans; vt nullo caſu beatam illi vitam ſint amiſſuri. Similem prope rationem in cæteris etiam diuinę prouidentię partibus (Nam prouidentiæ præcipuam eſſe partem prædeſtinationem diximus) licet intueri: vt cum pleraque vſitatum quemdam curſum ſecundarum cauſarum interuentu conficiant; interdum tamen ſumma illa cauſa omnium cauſarum officia repræſentet. Exempli cauſa, ad vitam hominum ſuſtentandum fruges parauit; ad quas tamen promendas inſtituit cauſas naturales cum generales, tum ſingulares, quæ plerumque concurrerent. Verumtamen ad ſuam poteſtatem indicandam, quæ huic rerum ordini non eſt alligata, atque ad excitandas hominum mentes, quibus cotidiana, atque vſitata viluerunt; repente interdum nullis aliis cauſis intercedentibus eas procreat: Omninoque ſibi quædam reſeruauit, præter vſitatum naturæ curſum ſuo tempore facienda; quæ homines non apud Deum maiora, ſed ſibi rariora videntes admirentur; ex quo ſunt appellata miracula. Itaque ſimili ratione is iuſtitiæ noſtræ efficiendæ vſitatus eſt Deo modus, quem ſuperioribus capitibus ſignificauimus; ideſt, vt primum gratiam ſuam, quaſi ſemen in animis noſtris, ſi non detrectent, inſerat; tum nobis quoque adlaborantibus præbeat incrementum; ac denique ad frugem perducat, præclaram quamdam ſanctitatem elucere faciens. *Vltro enim*, inquit, *terra fructificat; primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica*. Cæterum nonnumquàm ad oſtendendas fortaſſe miſericordiæ ſuæ diuitias, atque ad hominum quamtumuis ſceleratorum ſpem erigendam (quod fortaſſe illis verbis ſignificabat Paulus, *Ideo miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri ſunt*,) alia iuſtificandi ratione ad peculiarem prędeſtinationem pertinente vtitur; adeoque valide voluntatem mouet; vt illa omnino aſſentiatur, & confeſtim egregiæ cuiuſdam iuſtitiæ compos fiat; atque hæc à Theologis iuſtificatio miraculoſa nominatur. Quamobrem quod in iuſtificandi ratione diſcrimen Patres agnoſcunt, vt vna quaſi ordinaria ſit, altera inſignior; idem, cur in prędeſtinatione agnoſci non debeat,

Gen.9.

D.Aug. tract.24. in Ioh.

Mar.4.

1.Tim.1.

planè non video. Nam, vt ſępe diximus, prædeſtinationem nihil aliud eſſe, quàm anticipatam iuſtificationem fatentur. Ita ſine cuiuſquàm iniuria ſolo beneplacito voluntatis ſuæ, cuius vix vllam, aut ne vix quidem ex nobis licet afferre rationem, ad gratiæ ſuæ gloriam hoc extraordinario prædeſtinandi ac iuſtificandi modo quoſdam delegit; quibus plura, & maiora tribuat: neque vero vllæ ſanctorum querelæ audiuntur; quòd ad parem cum Apoſtolis, Ioanne Baptiſta, beata Virgine gratiam, gloriamque non peruenerint; ſed ſua ſorte libentiſſime fruuntur. Huic autem eximiæ electioni opponitur parcior, vſitatumque ordinem non excedens gratiæ donatio; quæ non niſi valde impropriè reprobatio appellaretur. De ſingulari vero prædeſtinatione Domini noſtri, qua quidem ſecundum humanam naturam prædeſtinatus erat vniri Deo vnione hypoſtatica; nihil cauſæ fuit, cur in præſenti diſputandum ſuſciperemus. Pertinet enim ad aliud inſtitutum; ac longe diuerſas ab hac noſtra quæſtiones habet.

Quid hucuſque actum ſit, & quid agendum reſtet. Cap. XI.

Explicata ſunt Enunciata illa, quibus prædeſtinationis noſtræ rationem, ac naturam patefieri aliquantulum credimus; variæque iſtius vocis notiones ſunt expoſitæ; quę ſi teneantur, non difficillime, quæ ex ſacris litteris, aut Patrum ſcriptis allata magnum exhibere negocium ſolent, explicabuntur. Nam vbi nihil voluntati noſtrę tribuunt; antecedentem prædeſtinationem, aut efficaciora illa auxilia; vbi vero paululum quiddam; conſequentem fere ſpectare deprehendentur. Tempora prętere a ſunt examinanda, & occaſiones; quibus quicque ſcriptum eſt; quod ſæpe inter cæteros Chryſoſtomus admonuit: Cęteroquin Paulus & Iacobo de fide, operibusque, & ſibi ipſe de ceremonijs legis obſeruandis videbitur aduerſari: Et patres interdum in matrimonium, interdum in virginitatem iniurij iudicabuntur. Nihil igitur mirandum eſt, ſi in diſputationibus contra Pelagianos ſuſceptis tantum tribuitur gratiæ, vt ferè libero arbitrio nihil loci relinquatur; contra Manichęos verò tantum ponderis in ipſa voluntate ponitur, vt gratia prope deprimi videatur: tametſi neque illud mirandum eſt, Deum non omnia omnibus ſemper patefeciſſe. Regiam igitur, niſi fallor, viam tenebimus, ſi ita ſtatuemus, Prędeſtinationem antecedentem ſummę Dei benignitati, nullis noſtris meritis acceptam eſſe referendam; quę prędeſtinatio nullam habeat oppoſitam reprobationem; ne in illud abſurdum incidamus, quoſdam, atque adeo plurimos homines nullam ſuam ob culpam ad mortem, miſeriamque ſempiternam eſſe damnatos à Deo illo; cuius proprium eſt ſemper miſereri, & parcere,

qui ſaluat omnes, & neminem vult perire, qui non mortem peccatorum, ſed vitam ſemper inquirit: Prędeſtinationem vero conſequentem conſtare propoſito gratiam conferendi, tamquam primaria cauſa, & prænotione aſſenſus noſtri, operumque noſtrorum, tamquam cuiuſdam conditionis ac neceſſarij apparatus, quo gratia accipiatur, & retineatur: huic vero conſequenti prędeſtinationi opponi reprobationem, eamque flagitiis, ac ſceleribus noſtris iuſtiſsime perſolui: vt elegantiſsime cum eccleſia dicamus, Deum omnium miſereri, quos ſuos fide & operibus futuros eſſe cognoſcit. Neque idcirco tamen Pelagianis erroribus affines erimus. Pelagius enim gratię, & prędeſtinationis cauſam meritoriam ſtatuit voluntatem noſtram, hominem ſine peccato naſci, ſine gratia poſſe ſalutem conſequi, atque alia huiuſmodi: quę nullo pacto Chriſtianę aures ferre debeant. Neque vero nos ij ſumus, qui aſſeramus, aut gratiam ijs tantum dari, qui ea bene vſuri ſunt (nam & ijs, qui repudiaturi ſunt, offertur, & ijs qui abiecturi, interdum donatur) aut opera præcedentia natura, vel tempore gratiam, eſſe veram cauſam prædeſtinationis; quod à ſacris Canonibus reprehenſum merito etiam reprehenditur à Soto. Nec multos eſſe ſaluandos, qui prædeſtinati non ſunt, cum Catharino docemus. Etenim multos quidem eſſe prædeſtinatos generali illa, & non abſoluta prædeſtinatione, qui ſalutem minime conſequuntur, non grauate concedimus: At quempiam conſequi ſalutem præter eos, quos Deus abſoluta, & conſequenti voluntate prædeſtinauit, hoc vero pernegamus.

Illud igitur vnum tenemus; quod etiam Sotus luce eſſe euidentius inquit, *Deum conſtituiſſe*, vt huius doctiſsimi hominis verbis vtar, *impendere gratiam ſuam eis tantum, qui non renuerent, ſed annuentes præberent illi aſſenſum. Eodem enim modo in illa ſua æternitate ſtatuiſſe reconciliare homines, quo reuera in tempore reconciliat: reconciliare autem adultum neminem, niſi libere aſſentientem, & per ſuum auxilium diſpoſitum: Itaque talibus præciſe in ſua æternitate ſtatuiſſe huiuſmodi gratiam elargiri.* Lib. 1. de gratia. c. 15. & 16.

Nemini igitur mirum videri debet, ſi aſſenſum iſtum in iuſtificatione quidem præſentem, in prædeſtinatione autem præuiſum pùtemus eſſe diſpoſitionem, & apparatum quemdam neceſſarium, & cauſam ſine qua non. Libertatem vero iſtius aſſenſus non omnino eamdem in omnibus hominibus agnoſcimus. Nam cum Deus vſitato more, & qui poſt Angelorum confirmationem naturæ humanæ propriè congruit, voluntatem noſtram mouet; ea motioni aſſentire, & diſſentire poteſt; omninoque interdum conſentit, interdum diſſentit; quam libertatem contradictionis vocant. At cum occultiore aliqua, & peculiari de cauſa, modo non quidem diſcrepante à natura humana, ſed tamen liberaliore, ac magnificentiore, nec violentius, ſed validius, ac certius, ob auxiliorum, aut efficaciam, aut multitudinem (Quod D.

In ſumma de veritate. q. 6. art. 3.

Thomę placuit) Deus voluntatem mouet; tum quo minus loci relictum videtur iſti contradictionis libertati ad bonum, aut malum, eo vberior, ac plenior apparet libertas ad multa, variaque bona, aut agenda, aut omittenda. Quod, & ſuperiore diſputatione ſatis, vt opinor, confirmauimus, & libro huic rei proprie dicato copioſius oſtendimus. Sed his vniuerſe expoſitis, & quaſi leui penicillo adumbratis iam ea omnia, quæ aut D. Auguſtini, aut Gręcorum Patrum ſententiæ officere videbantur, ſingillatim tractanda, atque expendenda ſunt; vt quantum vtriſque ſit tribuendum, conſtituere facilius poſsimus; ac diligenter Pauli potiſsimum verba explicanda; quæ ſemper Theologis negotium faceſſere conſueuerunt; & quæ ſi recte explicentur, Græcorum ſententiam tueri per Scotum etiam licet. Nam cætera argumenta, quæ aduerſus eam afferuntur, non magni eſſe ponderis probe intelligebat. Huic igitur operę, quando primi libri magnitudo ſatis creuit, ſecundum dicamus.

DE PRAEDESTINATIONE LIBER SECVNDVS.

Quid D. Auguſtino, Quid item antiquioribus Patribus videatur concedendum. Cap. I.

SVSCEPIMVS hoc ſecundo libro quaſi arbitri, & Pacificatoris perſonam; ita tamen, vt tenuitatis noſtræ non immemores de ſanctis Patribus ferre iudicium minime voluiſſe videamur; ſed illos neque inter ſe, neque à nobis magnopere diſsidere oſtendamus; grauiſsimaque illorum auctoritate confirmemus ſententiam noſtram. Argumenta igitur ſuperiore libro aduerſus D. Auguſtinum allata, quatenus conficiunt Deum omnes homines, ſed præcipue fideles, (nam de his, qui foris ſunt, nihil fortaſſe attinet curioſius iudicare) ſaluos velle; nulli ſaltem adulto auxilium, quod ad ſalutem conſequendam ſatis ſit, denegare; ſed multos damnari; quòd oblatum ſibi auxilium, aut repudient, aut abijciant; atque ex eius rei præſcientia proficiſci reprobationem; ſuum ſanè robur obtineant: & hucuſque Græcorum Patrum, & veterum Latinorum Dogmata ſequamur. Cæterum illa viciſsim D. Auguſtino dabimus, primum prædeſtinationem, quam antecedentem vocauimus, & gratiæ oblationem

oblationem ſolius benignitatis diuinæ munus eſſe, deinde vitio fortaſſe primi parentis factum eſſe, quominus omnibus hominibus ęquè efficax auxilium tribueretur. Iam enim non modo Adæ, ſed etiam cæterorum patrum propinquorumque culpa fieri potuiſſe conceſsimus; ne quibuſdam hominibus atque adeo nationibus tantum auxilij pręberetur, quantum illis non peccantibus, prębitum eſſet. Nam ſi Abrahæ, Iſaac, Iacob, Dauidis merita in poſterorum quoque vtilitatem redundarunt, quemadmodum certe redundarunt, multiſque idcirco & amplißimis muneribus Hebręi potiti ſunt; profectò vbi nulla maiorum merita, ſed magna potius crimina interceſſerunt, mirandum non erit, ſi Deus cum eorum poſteris parcius egerit, minuſque liberaliter eos tractare voluerit. Poſſunt autem, vt opinio mea fert, huius varietatis alię quoque ſubeſſe cauſę, quas niſi humanis mentibus pœnitus inuiæ ſunt, doctioribus, Deoque familiaribus hominibus relinquimus inueſtigandas. Verum vt ad D. Auguſtinum reuertamur, ille quidem exorta Pelagij hæreſi in contrariam ſibi partem incumbendum eſſe merito iudicauit: ſed tamen minime raro antiquorum Patrum ſententiam ſecutus eſt. Non pigebit afferre integrum locum ex libro octuaginta trium quæſtionum, vt eum accuratus lector conſideret. Continet enim multas ac pręclaras ſententias, quę magnopere ad vniuerſam hanc diſputationem faciunt. Ita igitur eo loco tractans illam Apoſtoli ſententiam. [O homo, tu, quis es, qui reſpondeas Deo] ſcri-
Cap.68. bit D. Auguſtinus. *Sed nos & auctoritati Apoſtolicæ ſalubriter inhærentes, & libros, quos catholica diſciplina cuſtodit, falſatos eſſe nequaquam exiſtimantes, ſentiamus, quod verum eſt, indignos nos, & infirmos eſſe ad intelligenda diuina ſecreta, quibus iſta clauduntur: & eis murmurantibus, & indignantibus, quòd conſilia Dei non diſcunt, cum dicere cœperint, Ergo cui vult miſeretur, & quem vult obdurat: quid adhuc quæritur? Nam voluntati eius quis reſiſtit? Cum his ergo verbis, aut calumniari ſcripturas, aut latebram peccatorum ſuorum quærere cœperint, ut præcepta contemnant, quibus ad vitam bonam peruenitur; reſpondeamus fidentiſſime, O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nec eos reueriti ſanctum canibus demus, aut proijciamus margaritas noſtras ante porcos, (ſi tamen iam ipſi canes & porci non ſumus,) & de meritis animarum reuelante ſpiritu Sancto, ſublime aliquid, & à vulgari coniectura remotiſſimum, vel ex parte, atque in ænigmate ſuſpicemur. Non enim Apoſtolus hoc loco ſanctos prohibuit à quęrendo, ſed eos, qui nondum ſunt in charitate radicati & fundati, vt poſſint comprehendere cum omnibus ſanctis longitudinem, latitudinem, altitudinem, & profundum, & cætera, quæ in eodem loco exequitur. Non ergo prohibuit à quærendo, qui dicit, ſpiritalis autem omnia iudicat, ipſe autem à nemine iudicatur, & illud præcipue; Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſcia-*

mus,

mus, quæ à Deo donata ſunt nobis. Quos ergo prohibuit; niſi luteos atque terrenos, qui nondum intrinſecus regenerati, atque nutriti, imaginem illius hominis portant, qui primus factus eſt de terra terrenus? Et quia ei à quo factus eſt, noluit obtemperare; in id lapſus eſt, vnde factus eſt, meruitque poſt peccatum audire, Terra es & in terram ibis? Talibus igitur hominibus dicit Apoſtolus, O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quare ſic me feciſti? Quamdiu ergo figmentum es, non dum perfectus filius, quia nondum hauſiſti pleniſſimam gratiam, qua nobis data eſt poteſtas filios Dei fieri, qua poſſis audire, Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos; tu quis es, qui reſpondeas Deo, & velis Dei noſſe conſilium? Qui ſi hominis tibi æqualis noſſe voluiſſes; impudenter faceres, niſi prius in amicitiam recipereris. Sicut ergo portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis, exuentes nos veterem hominem, & induentes nouum, vt non dicatur nobis, quaſi luteo figmento: Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quare me ſic feciſti? Nam vt manifeſtum ſit, non ſanctificato ſpiritui, ſed carnali luto iſta dici; vide, quid ſequitur, Aut non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem conſperſione facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Ex quo ergo in paradiſo natura noſtra peccauit, ab eadem diuina prouidentia, non ſecundum Cælum, ſed ſecundum terram, ideſt non ſecundum ſpiritum, ſed ſecundum carnem mortali generatione formamur: & omnes vna maſſa luti facti ſumus, quod eſt maſſa peccati. Cum ergo meritum peccando amiſerimus, & miſericordia Dei remota, nihil aliud peccantibus, niſi æterna damnatio debeatur; quid ſibi vult homo de hac maſſa, vt Deo reſpondeat, & dicat, quare me ſic feciſti? Si vis iſta cognoſcere, noli eſſe lutum, ſed efficere filius Dei per illius miſericordiam, Qui dedit poteſtatem filios Dei fieri, credentibus in nomine eius. Non enim (quod tu cupis) antequam credant, diuina datur noſſe cupientibus: merces enim cognitionis meritis redditur: credendo autem meritum comparatur. Ipſa autem gratia quæ data eſt, per fidem, nullis noſtris meritis præcedentibus data eſt. Quod eſt enim meritum peccatoris, & impij? Chriſtus autem pro impijs & peccatoribus mortuus eſt, vt ad credendum non merito, ſed gratia vocaremur, credendo autem etiam meritum collocaremus. Peccatores igitur credere iubentur, vt à peccatis credendo purgentur: Neſciunt enim quid recte viuendo viſuri ſint. Quapropter cum videre non poſſint, niſi recte viuant, nec recte viuere valeant, niſi credant; manifeſtum eſt, à fide incipiendum, vt præcepta, quibus credentes à ſæculo hoc auertuntur, cor mundum faciant, vbi videri Deus poſſit. Beati enim mundo corde, quia ipſi Deum videbunt: & per Prophetam canit, in ſimplicitate cordis quærite illum. Quapropter recte dicitur hominibus in vetuſtate vitæ manentibus, & propterea tenebroſum oculum animæ gerentibus, O homo tu, quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quare me ſic feciſti? Aut non

habet poteſtatem figulus luti ex eadem conſperſione facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Expurga vetus fermentum, vt ſis noua conſperſio; & in ea ipſa non adhuc paruulus in Chriſto, vt lacte potandus ſis; ſed perueni ad virum perfectum, vt ſis inter illos, de quibus dicitur, ſapientiam loquimur inter perfectos: tunc demum recte, & non præpoſtere audies, ſi qua ſunt de animarum occultiſſimis meritis, & de gratia vel iuſtitia ſecreta omnipotentis Dei. Nam de Pharaone facile reſpondetur, prioribus meritis, quibus afflixit in Regno ſuo peregrinos, dignum effectum cui obduraretur cor, vt nec manifeſtiſſimis ſignis iubentis Dei crederet. Ex eadem ergo maſſa, ideſt peccatorum, & vaſa miſericordiæ protulit, quibus ſubueniret, cum eum deprecarentur filij Iſrael; & vaſa iræ, quorum ſupplicio illos erudiret, ideſt, Pharaonem & populum eius: quia quamuis eſſent vtrique peccatores & propterea ad vnam maſſam pertinerent; aliter tamen tractandi erant, qui vni Deo ingemuerant, vt eis ſubueniret, & aliter illi quorum iniuſtis oneribus ingemuerant. Pertulit ergo in multa patientia vaſa iræ, quæ perfecta ſunt in perditionem: & eo ipſo, quo ait, in multa patientia, ſatis ſignificauit priora eorum peccata, in quibus eos pertulit: vt opportune tunc vindicaret, quando de illorum vindicta ſubueniendum erat his, qui liberabantur, & vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ, in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Hic fortaſſe conturbatus ad illam quæſtionem redis, cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat. Quid adhuc conqueritur? voluntati enim eius quis reſiſtit? Prorſus cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat. Sed hæc voluntas Dei iniuſta eſſe non poteſt. Venit enim de occultiſſimis meritis; quia & ipſi peccatores, cum propter generale peccatum vnam maſſam fecerint, non tamen nulla eſt inter illos diuerſitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamuis non dum ſint iuſtificati, digni efficiantur iuſtificatione: & item præcedit in alijs peccatoribus, quò digni ſint obtuſione. Habes eundem Apoſtolum alibi dicentem. Quoniam non probauerunt Deum habere in notitia; dedit illos Deus in reprobum ſenſum. Quòd eos dedit in reprobum ſenſum; hoc eſt, quòd indurauit cor Pharaonis. Quòd autem non probauerunt habere Deum in notitia; hoc eſt quòd digni extiterunt, qui darentur in reprobum ſenſum. Tamen verum eſt, quia non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: quia etiam ſi leuioribus quiſque peccatis, aut certe quamuis grauioribus, & multis, tamen magno gemitu, & dolore pœnitendi, miſericordia Dei dignus fuerit; non ipſius eſt, qui ſi relinqueretur, interiret, ſed miſerentis Dei; qui eius precibus, doloribuſque ſubuenit. Parum enim eſt velle; niſi Deus miſereatur. Sed Deus non miſeretur, qui ad pacem vocat; niſi voluntas præceſſerit; quia in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et quoniam nec velle quiſquam poteſt, niſi admonitus, & vocatus, ſiue intrinſecus vbi nullus hominum videt, ſiue extrinſecus per ſermonem ſonantem, aut per aliqua ſigna viſibilia; efficitur, vt etiam ipſum velle Deus operetur in nobis. Ad il-

Iam enim cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes, qui vocati ſunt, venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire poſſent, niſi vocarentur. Itaque nec illi debent ſibi tribuere, qui venerunt; quia vocati venerunt; nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantum ſibi; quoniam vt venirent, vocati erant in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea, & ſi quiſquam ſibi tribuit, quòd venit vocatus; non ſibi poteſt tribuere, quòd vocatus eſt: qui autem vocatus non venit; ſicut non habuit meritum præmij, vt vocaretur; ſic inchoat meritum ſupplicij, cum vocatus venire neglexerit. Ita erunt duo illa, miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine. Ad miſericordiam pertinet vocatio; ad iudicium pertinet beatitudo eorum, qui venerunt vocati, & ſupplicium eorum, qui venire noluerunt. Numquid ergo latebat Pharaonem, quantum boni conſecutæ fuerint terræ illæ per aduentum Ioſeph? Illius ergo rei geſtę cognitio, vocatio eius fuit; vt populum Iſrael miſericorditer tractans non eſſet ingratus. Quòd autem huic vocationi obtemperare noluit; ſed exercuit crudelitatem in eos, quibus humanitas, & miſericordia debebatur; meruit pœnam, vt induraretur illi cor, & tantam cæcitatem mentis pateretur, vt tot, & tantis, tamque manifeſtis Dei ſignis non crederet; quò poſſet eius ſupplicio ſiue obdurationis, ſiue vltimæ viſibilis ſubmerſionis erudiri populus, cuius afflictione ille, & occultæ obtuſionis, & manifeſtæ ſubmerſionis meritum ſibi compararet. Hæc autem vocatio, quæ ſiue in ſingulis hominibus, ſiue in populis, atque in ipſo genere humano per temporum opportunitates operatur, altæ, & profundæ ordinationis eſt. Quò pertinet etiam illud, In vtero ſanctificaui te, & cum eſſes in renibus patris tui, vidi te. & Iacob dilexi, Eſau autem odio habui; cum dictum ſit, antequàm naſceretur; nec comprehendi poteſt, niſi fortaſſe ab eis, qui diligunt Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente ſua, & diligunt proximos tamquàm ſe ipſos. Tanta enim charitate fundati poſſunt iam fortaſſe cum ſanctis comprehendere longitudinem, latitudinem, altitudinem, & profundum. Illud tamen conſtantiſſima fide retinendum, neque quicquàm iniuſte Deum facere, neque vllam eſſe naturam quæ non Deo debeat id, quod eſt; quia Deo debetur omne decus, & pulchritudo, & congruentia partium. Quam ſi penitus proſecutus fueris, & vſque ad omnes reliquias de rebus detraxeris; remanet nihil. At enim Magiſter ſententiarum putat locum hunc à D. Auguſtino eſſe retractatum, dum huic ſimilem, qui eſt in interpretatione Epiſtolæ ad Romanos, retractat. Verum valde mihi probabile videtur Scoti argumentum, quemadmodum nonnulla huius capitis, quod recitauimus, quæ aliquam dubitationem inijcere poterant, diligenter explicat; ita & reliqua explicaturum, aut retractaturum fuiſſe; ſi minus ſibi fuiſſent probata, aut vt alijs probarentur, veritus eſſet. Pręterea operępretium eſt attendere, quid ex ea interpretatione retractauerit: locum

Lib. 1. diſt. 41
Retract. lib. 1. c. 23.

enim illum noſtro, quem attulimus, ſimillimum eſſe, ac penè geminum non inficiamur. Nuſquam igitur in eius loci retractatione negat aliquam rationem ſubeſſe; cur alter ſalutem conſequatur, alter reprobetur; ſed illud accurate ſtatuit, non modo bona opera, ſed neque etiam fidem à nobis ſolis, noſtraque ſola voluntate proficiſci: ſed vtrumque (vt illius verbis vtar) Dei eſſe, quia ipſe præparat voluntatem; & vtrumque noſtrum; quia non fit, niſi volentibus nobis. At hoc eſt huiuſmodi; vt vel ipſe Chryſoſtomus idem ſæpenumero docuerit. In libro autem de prædeſtinatione Dei, quem nimis fortaſſe confidenter nonnulli negant Auguſtini eſſe, ita diſerte ſcribit. *Ex præſcientia igitur offenſionis, prædeſtinatio emanauit vltionis; ſicut ex præſcientia virtutis prædeſtinatio fieri ſolet remunerationis: vnde Apoſtolus ad Romanos, Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit*. Nullam igitur, opinor, D. Auguſtino iniuriam facimus; ſi eam potius ſententiam, quam & antiquiores Patres perpetuo, & ipſe interdum ſecutus eſt, probemus; quàm illam alteram; quam, vt Pelagianos vndique profligaret, nonnumquàm protulit: præſertim cum hoc tempore maius nobis negocium Manichæi, quàm Pelagiani faceſſant.

De loco Diui Pauli [*Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali.*] *Cap. II.*

QVando autem ea, quæ à D. Auguſtino in obſcurum illum Pauli locum ſcribuntur, audiuimus; nihil autem eſt, quod græcis Patribus magis, quàm iſte locus obijci conſueuerit; præſtat recenti adhuc memoria aliam etiam eiuſdem loci explanationem afferre; atque experiri, num ea, quæ à varijs Patribus ſcripta ſunt, colligentes, pijs hominibus, quos interdum ſcrupulus iſte male habet, explere animum queamus. Principio illud oppono D. Paulum longiſsime abeſſe ab ea ſententia, ex vniuerſa illa perditionis maſſa paucos quoſdam à Deo ſeligi, quibus parcat; reliquos autem homines
Rom. 10. ſempiternæ morti obnoxios, ac deſtinatos relinqui. Erant enim Iudæi naturales rami, ideſt prædeſtinati in patribus; nec tamen veniam ſunt conſecuti; ſed ceciderunt: ceciderunt autem propria culpa; quoniam
Ibidem. ignorantes iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non fuerunt ſubiecti: quoniamque ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenerunt: quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operi-
Cap. 11. bus. Contra autem gentes ex naturali excisæ oleaſtro, contra naturam inſertæ ſunt in bonam oliuam; & quæ non ſectabantur iuſtitiam,
Cap. 9. apprehenderunt iuſtitiam; iuſtitiam autem, quæ ex fide eſt. Licet

ergo animaduertere bonitatem, & ſeueritatem Dei, in eos quidem, qui ceciderunt propter incredulitatem fracti, ſeueritatem; in te autem, qui fide ſtas, bonitatem Deij, ſi permanſeris in bonitate; alioquin & tu excideris. Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur: potens enim eſt Deus iterum inſerere illos. Vides bonitatem, & ſeueritatem Dei non ex illa hominum diſtinctione poſt peccatum originis facta pendere; ſed ex voluntatis noſtræ inductione occaſionem quodammodo accipere. Bonitatem inquit, Apoſtolus in te, ſi permanſeris in bonitate; ſed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur. Quare ad æmulandum prouocat carnem ſuam; vt ſaluos faciat aliquos ex illis. Primo autem, & ſecundo capite apertiſsime docuerat iram Dei ex noſtris peccatis excitatam eſſe. Benignitas enim Dei ad pænitentiam te adducit: ſecundum autem duritiam tuam, & impænitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius. In epiſtola autem ad Hebręos ita ſcripſit. *Quibus autem iurauit non introire in requiem ipſius, niſi illis, qui increduli fuerunt?* Non ergo reprobati ſunt ob originis peccatum, ſed propter incredulitatem. Quid igitur ſibi volunt verba hæc, *Cum non dum nati fuiſſent*, & cætera, quæ propoſuimus? Attende bone lector conſilium Pauli: optime omnia cohærere intelliges. Scribebat Apoſtolus Eccleſiæ Romanorum; in quam multi ex gentibus, nonnulli etiam ex Iudæis conuenerant, vtrique rudiores, atque impolitiores in fide, multumque priſtinæ infirmitatis, priſtinique ſenſus retinentes. Illi, qui ex gentibus crediderant, gloriabantur; quòd auctorem humanæ ſalutis à Iudæis crucifixum, ſalutaremque in illum fidem ab iiſdem omni conatu oppugnatam ipſi cupide recepiſſent; itaque ex alienis, & hoſtibus Dei ſubito amici, filij, hæredes Regni, maximorumque bonorum participes facti eſſent. Iudæi vero fideles, partim hoc ipſum quaſi criminis loco ijs, qui ex gentibus venerant, exprobrabant; quòd ſola Dei gratia, nullis ſuis meritis intercedentibus ſalutem eſſent adepti; cum ipſi & maiorum commendatione, & obſeruatione diuinorum pręceptorum ad eam gloriam iure propemodum aſpirare poſſent; partim vero & mirabantur, & voces querimoniæ plenas emittebant; quòd Deus populum ſuum repuliſſe videretur; quòdque cum ſalutem, gloriam, pręclaram hęreditatem ſemini Abrahę promiſiſſet, repęnte illo abiecto gentes Idolis ſeruientes, omnibusque flagitiis inquinatas in ea ipſa bona induxiſſet; vt partim non fidelis, quippe qui promiſsis non ſtetiſſet; partim iniquus, qui impuros homines iis, qui ex lege viuebant, prætuliſſet, videri poſſet. His atque aliis huiuſmodi perturbationibus vtræque illius Eccleſiæ partes, & quaſi factiones agitatæ fluctuabant, ac tumultus faciebant. Vtriſque autem

Cap. 11.

Cap. 3.

medeti cupit Apoſtolus; & illi quidem parti, quę ex gentibus vene-
Cap. 11. rat, in alijs huius Epiſtolæ locis. (*Nam ſi gloriaris*, inquit, *non tu radicem portas, ſed radix te.*) Illi autem, quæ ex Iudęis, in hoc potiſsimum capite: in quo quidem hęc duo in primis conſtituenda ſuſcipit; Vnum, non excidiſſe ſermonem Dei, fidemque promiſſorum eſſe ſeruatam; alterum, vnum eſſe Deum, qui digniores, & indigniores certiſsime & ante omnia tempora cognoſcat, præterea neminem: illius iudicio ſtandum fuiſſe, tametſi nulla factorum ratio appareret: Verumtamen in hac cauſa rationem ſatis apertam reddi poſſe. Cæterum, quoniam ea vix, aut ne vix quidem ſine Iudęorum accuſatione proferri poterat; ne oratio ijs, qui ex ea natione ad fidem acceſſerant, durior, atque acerbior videretur, multo antea apparatu vtitur, multiſque modis illorum animos mollire, ac lenire ſtudet. Ideo & initio capitis inuſitatam, admirabilemque amoris vim erga illos oſtendit. *Optabam enim ego*, inquit, *anathema eſſe*: & rationem Diuini iudicij, qua, vt dicebam, patefacta, ipſos offenſum iri intelligebat, occultat quantum poteſt, & perinde quaſi coactus eò deſcendat, non niſi extremo capite affert. Interea vero nihil noui accidiſſe, & ea, quæ euenerunt, à Iudęis facillime præuideri potuiſſe docet. Quid enim? Miramini non omnes Iudæos ſalutem eſſe adeptos, cum tamen omnes Abrahę filij ſitis, & Dei promiſsionem titubare prope creditis? At quæ in ipſomet populi Iudaici initio facta ſunt, conſideraſſetis: nulli nunc admirationi atque hęſitationi locum eſſe intelligeretis. Cur igitur Iſaac ſolus ſemen vocatur, quamquam Iſmael quoque Abrahę filius fuerit? At enim ex ſerua matre fuit. Et quid hoc ad patrem? verumtamen nihil contendo: eijciatur Iſmael propter matrem. Quid de ijs, quos Chettura peperit, dicetis? nonne liberi, & ex libera? cur igitur ad eamdem, atque Iſaac, dignitatem minime perueneruntᵉ? Quid multa? de vnius mihi Rebeccę, & vnico quidem partu editis filiis reſpondeatis: ecquid cauſę fuerit, quamobrem cum nondum eſſent nati, antequam quicquam boni, vel mali feciſſent, alterum Deus amauerit, alterum odio habuerit, atque ita decreuerit, maiorem minoris ſeruum fore? Non ne vel hoc vnum factum ſatis vos docere poteſt, Dei oculum penetrare, quæ hominis acies non poteſt? homo enim vix eos, qui iampridem nati ſunt, multaque opera ediderunt, ac ne penitus quidem cognoſcit: Deus autem nihil eiuſmodi expectat: ſed ante curricula temporum apertiſsime in illa ſua ſtabili ęternitate omnia videt; neque omnes, qui ex Abraham, aut ex Sarra, aut ex Rebecca nati ſunt, in Abrahæ filijs cenſet; ſed propoſitum ſuum benedicendi ſemini Abrahę manere vult ſecundum electionem, ideſt in ijs tantum impleri; quos tamquam germanos Iſraelitas, & veros Abrahę filios elegerit; & quemadmodum Iſaac per fidem Dei promiſsis

habitam genitus eſt, ita ipſos diuinę voci omnes in filio ad ſalutem vocanti fidem habituros, & ſpiritali quadam ratione regenerandos, & in filios Abrahæ adoptandos cognouerit; vt non ex operibus in conſpectu hominum factis, ſed ex vocante, ideſt ex eo, qui vocat ea, quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt, & ſcit, quos Abrahæ filios vocet, dictum ſit, maior ſeruiet minori. Cui ſententiæ non valde diſſimilis illa eſt, quæ primo Regum ſcribitur. *Et dixit Dominus ad Samuelem: ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius; quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico. Homo enim videt ea, quæ patent; Dominus autem intuetur cor.* Affertur enim & eo loco reprobationis ratio, ducta illa quidem ex hominis corde, quod tamen ſolius Dei ſit diſpicere. Ergo vt ad fluctuantes Iudæos reuertamur; ſi in cauſa illa filiorum Rebeccæ ſtant iudicio Dei, neque in illum curioſius inquirunt; cur non etiam in vocatione gentium ſtandum putent? cur ea, quæ geſta ſunt, quin optima, quamuis fortaſſe occulta ratione geſta ſint, dubitent? At eam quidem rationem euentus ipſe patefecit; eamque paulo poſt, vt dicebamus, pene ſubinuitus Apoſtolus ſignificabit. Interea per interrogationes, & reſponſiones quaſdam illos terret, atque humiliter ſapere docet; eoque redigit, vt quo ſe vertant, neſciant. *Quid ergo dicemus? num iniuſtitia apud Deum? abſit.* Quòd non omnes Abrahæ filij eoſdem ſunt conſecuti honores; quòd Eſau, & Iacob ex eodem patre, & matre geniti non eodem loco apud Deum ſunt habiti; iniuſtitiæ crimen in Deum intendes? Abſit (etiam ſi nullam eius rei deſpiceres rationem) vt eò ſtultitiæ deuenias. Quin ne in alio quidem facto, cuius longe obſcurior ratio eſt, iſtud auderes. Factum vero eſt huiuſmodi. Cum Moſes apud Deum in monte diutius moraretur; Hebræi de illius reditu deſperantes vitulum aureum ſibi fabricauerant, atque adorauerant; cuius ſceleris ad omnes pertinentis non integram pœnam repetijt Deus; ſed in tria hominum millia animaduertens, reliquis ignouit. In pari igitur, vt videbatur, omnium peccato, diſpar fuit pœna; dixitque Deus, *Miſerebor cuiuſcumque miſereor, & miſericordiam præſtabo, cuius miſerebor*, ideſt non tuum eſt ſcire, ò Moſes, quibus potiſsimum miſericordia præſtanda ſit, ſed meum; neque hac in cauſa rationem parentum, auorumve ſum habiturus, ſed in miſericordia præſtanda ad illum ipſum ſpectabo, cuius miſereor, non ad maiores ipſius. Ergo ſi vbi par oculis hominum apparebat factum, ne Moſes quidem tantus vir, tamque Deo charus, qui nam præ cæteris minus indigni miſericordia eſſent, aptus ad iudicandum erat; ſed iſtud ſibi iudicium Deus reſeruauit; ac prout ipſe voluit, (quæ tamen voluntas iniuſta eſſe non poteſt) quoſdam puniuit, quoſdam à pœna liberauit, neque in miſericordia exhibenda ad ipſorum maiores, ſed ad illum ipſum, cuius miſerebatur, ſpectauit;

Cap. 16.

ſtauit; cur nunc tumultuaris, quòd non omnes Iudæos ſalutem adeptos, ſed multos ex gentibus in eorum locum ſuffectos vides? cur quę Moſes iudicare non potuit; tu te ſatis aptum ad iudicandum putas? Cæterum quoniam iſta verba, *Miſerebor, cuiuſcumque miſereor,* minus attente conſideranti videri poterant hoc ſignificare, Deum miſereri quorum vult, nulla culparum, aut meritorum ratione habita, ſimulque illum Exodi locum in memoriam reuocabant, vbi ſcriptum eſt, Deum induraſſe cor Pharaonis, atque in hoc ipſum excitaſſe, vt in eo oſtenderet potentiam ſuam; vt nullæ iam videantur eſſe partes voluntatis, curſuſque noſtri, ſed quidquid agimus boni, vel mali, & quicumque finis nos manet, totum id à Deo proficiſcatur; hęc autem licet Iudæos valde compeſcant, vt non antea rerum erga gentes geſtarum rationem ſibi repetendam diſcant, quàm ſuarum reddiderint; tamen alios rurſus ciere tumultus poſſunt, atque apud eos, qui audaciores, & confidentiores ſunt, nonnullam diuinæ iuſtitiæ maculam aſpergere: ideo, quod ſibi obijci poſſe videbat, ipſemet proponit, paulò poſt explicaturus. Proponens autem, atque induens aduerſarij perſonam mire exprimit hęreticos noſtri temporis in iſtiuſmodi verba temere, ac furioſe erumpentes, *Itaque non volentis eſt, neque currentis, ſed miſerentis Dei. Dicit enim ſcriptura Pharaoni, in hoc ipſum te excitaui, vt oſtendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuerſa terra. Ergo cui vult, miſeretur, quem autem vult, indurat; dices ergo mihi, quid adhuc quæritur? nam voluntati eius quis reſiſtit?* Hos nimis feroces ſpiritus, nimiamque arrogantiam prius ſibi comprimendam, coercendamque putat Apoſtolus, quàm explicet quæſtionem. *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere quidem aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Quibus verbis magna cum auctoritate admonet aduerſarium vilitatis, atque infirmitatis ſuæ: Tu quis es, qui ex aduerſo reſpondes Deo? Num forte particeps es ſummi illius Principatus? Num conſiliarius Dei? qui tam audacter, & curioſe in ipſius facta inquiras? An non potius illud cogitas, te collatum cum Deo longe viliorem eſſe, quàm lutum, ſi cum figulo conferatur? Quamobrem, vt lutum ſeſe voluntati artificis accommodat, ſeque ipſi, quomodocumque ille maluerit, ſiue vas in honorem, ſiue in contumeliam, efficiendum præbet; ita facilem te, atque obedientem Deo præbeas oportet, & quocumque duxerit, libens ſequaris. Quo loco memoria tenendum eſt, exempla non vndequaque rei propoſitæ ſolita eſſe reſpondere; ſed ſatis eſſe, ſi ea ex parte reſpondeant, in quam ſumuntur. Non enim cum Propheta in-
Pſal. 72. quit, *Vt iumentum factus ſum apud te*, ſe ſe omnibus modis factum eſſe iumentum ſignificabat; ſed magnam, ac promptam præ ſe ferre obedien-

obedientiam cupiebat. Ita Apoſtolus hac luti ſimilitudine non rationis, ſenſus, animæ nos expertes omnino conſtituit; ſed hoc vnum ſibi vult, faciendum nobis eſſe, vt libenter, atque alacriter nos Deo fingendos, formandosque præbeamus. Alioquin, & ipſe figulus, tametſi hanc poteſtatem habet, vt lutum quocumque ſibi modo libeat, fingat; ea tamen ferè non vtitur, ac ſi vtatur, vix inſipientiæ ſuſpicionem vitare poterit: ſed maſſam illam accurate verſans, atque inſpiciens, partem, quam puriorem, & potiorem videt, vaſis honoris deſtinat, quam impuriorem, ac deteriorem, vaſis contumeliæ. Quare idem multo magis in nobis eueniet, qui ratione, ac libertate arbitrij prædìti incedimus: idcircoque alibi dixit Apoſtolus. *Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum:* ſignificans aliqua ex parte in nobis ſitum eſſe, fieri vas in honorem. Ita enim inquit, *Si quis emundauerit ſe*. Idemque in Epiſtola ad Hebræos ſignificauit, ita ſcribens *Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem ſpinas, & tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem.* Verumenimuero (redeundum enim eſt ad propoſitum locum) vt creber ſententiis Apoſtolus eſt, multaque ſimul agit, hoc exemplo non illud dumtaxat docet, quod potiſsimum erat propoſitum, non eſſe faſtidioſius examinandam diuini conſilij rationem, ſed luti more artificis manum ſequendam; verumetiam ea interea dicit, quæ ad aliam frequenter eo tempore in eccleſijs exorientem ſeditionem compeſcendam valeant. Nam ex chariſmatum, & gratiarum gratis datarum differentia, quod ex hac ipſa Epiſtola, & ijs, quas ad Corinthios ſcribit, conſtare poteſt, alij nimis efferebantur, alij dolorem capiebant. In his autem chariſmatis nos ſæpe nihil afferimus: ſed planè inſtar luti ſumus: nam improbis etiam hominibus miraculorum faciendorum, & prophetiæ facultas interdum conceſſa eſt. Quocirca nihil eſt; cur aut maioribus chariſmatis acceptis, inſolentius nos iactemus, aut minoribus animo concidamus. His igitur vitiis tacite, & quaſi per tranſennam notatis, correctiſque, aperte autem, & magna cum auctoritate impudentium hominum repreſſa audacia, tamdem ad quæſtionis progreditur explicationem. Non enim quia diuinorum conſiliorum ratio ſuperbe requirenda, atque exigenda violente non eſt, ideo etiam reddi non poteſt. Quinimmo Iob, Danieli, Eſdræ huiuſmodi quædam interrogantibus, ſed pie, atque humiliter interrogantibus ipſemet Deus ſedulo reſpondet: tantaque optimi illius patris benignitas ac facilitas eſt, tanta cauſæ bonitas, adeoque euidens iuſtitiæ ſuę ratio, vt ſępe per prophetas ſuos clamet. *Venite, arguite me, & cur dicitis, via Domini æqua non eſt?*

[Margin notes: 2. Tim. 2. — Cap. 6. — Chryſoſt. in epiſt. ad Hebr. hom. 3. & Hilarius in hom. de falſis Prophetis. — Eſa. 1.]

Ezech.18. *eſt?* Itidem Apoſtolus ijs, qui quæſtionem mouerunt, ſuo tempore ſatisfacere non recuſat. *Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, &c.* Oratio autem, vt referta ſententijs, ita periodis contorta eſt, multoque circuitu vtitur. Pendet enim, vt puto, vſque ad illa verba. *Quid igitur dicemus.* Quod igitur docet Apoſtolus, eſt huiuſmodi. Pharao, & homines illius ſimiles, ideſt reprobi vaſa ſunt iræ à ſeipſis apparata, aptataque ad interitum: homo enim eſt, qui ſecundum impœnitens cor ſuum, theſaurizat ſibi iram: ac ſane valde improprie diceretur Deus patienter illos tuliſſe; ſi ipſemet aptaſſet ad interitum, longeque magis proprie illud ab antiquo Patre videtur dictum, Deum idcirco peccatorum pænitentiam patienter expectare; quoniam ſalutem impatienter deſiderat. Erga hos igitur multam adhibet lenitatem Deus, multaque molitur, quò reſipiſcant; nec ſtatim è medio tollit, ſed cunctatur; vt ſaltem ipſorum improbitate vtatur ad oſtendendam potentiam, & benignitatem ſuam in eos, quos tam ex Iudæis, quàm ex gentibus obedientes ſibi præparauit ad gloriam. Omnis enim malus aut ideo viuit, vt corrigatur; aut vt bonus per eum exerceatur, proficiat, coronetur. Hoc igitur ſibi volunt verba illa, *In hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam,* Non fruſtra te ſubſtinui, multaque patientia vſus ſum. Nam quando benignitate mea abuteris, neque te ipſum corrigis; aliorum correctionis, ac profectus miniſter eris. Edam enim in te exempla, quæ magnam alijs vtilitatem afferre queant. Quamobrem ijs, qui ex iſtis de Pharaone verbis, de iuſtitia, & bonitate Dei dubitandi occaſionem ſumebant, planiſsime ſatisfecit Apoſtolus. Rurſus autem illud inculcat, præparatos eſſe ad gloriam multos non ſolum ex Iudæis, ſed etiam ex Gentibus; idque prophetarum Oſeæ, & Eſaiæ clariſsimo teſtimonio probat. Non enim omnes Iudæos ſaluos futuros eſſe prædixerant, ſed reliquias quaſdam, eaſque per verbum breuiatum, ac per ſemen, quod ipſis relictum eſt, ideſt per filium Dauid ſecundum carnem, qui eſt Deus benedictus in ſæcula; Iudæis autem decidentibus fore, vt ſufficerentur gentes, & quę non erat plebs Dei, & non dilecta, fieret dilecta, atque in ea vocarentur filij Dei viui. Verum, cum & loco illi de Pharaone abundè occurſum eſt, & quæſtio illa, quomodo non exciderit verbum Dei, neque fides Abrahæ data vacillarit, explicata; quid ad illam alteram O D. Paule dices, cur gentes, quæ in lege non viuebant, ſed idolis, ac ſceleribus, flagitiiſque omnibus ſeruiebant, in locum Iudæorum ex lege viuentium ſucceſſerint, ac ſalutem ſint conſecutæ? Abijcienda tibi tamdem cunctatio eſt; libereque dicendum, quod ſentis. En tibi euidentem explicationem. *Quid ergo dicemus? quòd gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam autem, quæ ex fide eſt: Iſrael verò ſectando legem iuſtitiæ in legem iuſtitiæ non peruenit:*

Fauſtus lib. 1. de lib. arb. c. vlt.

nit: quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offenſionis, & petram ſcandali; & omnis, qui credit in eum, non confundetur. Cauſa igitur reprobationis Iudæorum, & electionis gentium illa fuit; quòd Iudæi quaſi ex operibus, ideſt, quaſi implentes mandata legis, cum tamen minime implerent, (nam hoc ſignificat voce illa *quaſi*, ſed obſcurius, ne magis irritet) putabant ſatis ſe iuſtos eſſe, nihilque amplius, Phariſæi illius in Euangelica parabola expreſſi more, à Deo petebant; & ignorantes Dei iuſtitiam, ſuam quærebant ſtatuere: ita quod illis adiumento comparabatur, ideſt, fides; petra ſcandali euaſit. Gentes autem, publicani illius felicis inſtar, pænitentiam de peccatis ſuis agentes, ac veniam poſcentes, ſola fide viua in Ieſum Chriſtum freti ſe ſe Deo vocanti commiſerunt, & crediderunt. Vides præclarum huius totius orationis curſum? Oſtendit non omnes, qui ſecundum carnem ſunt ex ſemine Abrahæ, germanos Iſraelitas, & Abrahę filios eſſe; in diiudicandis autem germanis, & veris filijs non temere humanum, quod ſępe fallitur, iudicium eſſe interponendum, ſed Dei ſententiæ ſtandum: neque ab illo rationes curioſe repetendas: in hac autem cauſa ſatis euidentes adeſſe rationes; quibus omnis admiratio tolli poſsit. Verum iſtas partim non dicit; partim quaſi coactus dicit: Omninoque eam ſolam exprimit, quam minus inuidiæ expoſitam, minusque moleſtam putauit. Non enim zelo illo commotus, quem aliquando aduerſus blaſphemantes præſeferre neceſſe habuit, ita nunc inquit, *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad gentes.* Act. 13. Neque illud etiam profert, quod forte poterat, in reijciendis Iudęis, & acccerſendis gentibus Deum ad opera ſpectaſſe, quæ futurum eſſet, vt in gentibus ederentur, & pręclariora quidem, quàm olim à Iudæis: quod Beda Gregorium ſecutus illis Domini verbis myſtice ſignificari putat, *Intraui in domum tuam: aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, &c.* In natiu. B. Mariæ Mag. Sed quod minus offenſionis habiturum iudicauit, hoc vnum ſubinuitus, & multis antea modis partim correcto, partim ſibi conciliato auditore ad extremum affert, Iudæos nimium ſuis operibus confiſos, & æmulationem quidem Dei habentes, ſed non ſecundum ſcientiam, minus ſe vocanti Deo faciles ad obſequendum præbuiſſe, fidemque non apprehendiſſe: quod in gentibus contra euenerit: Deum autem non tam pondus ipſorum operum, quàm voluntatem, vnde proficiſcuntur, animique inductionem, & propenſionem, fidemque ſibi habitam ſpectare; hancque vel in ipſo Abraham ſummopere probaſſe. Si enim Abraham ex operibus, ideſt, ex ipſo operum pondere, & ſubſtantia iuſtificatus eſſet; haberet gloriam, ſed non apud Deum. Hoc modo, quem nullam vim afferre verbis, ſed plane congruere putamus, locus iſte cæteroquin

obſcuriſsimus ſemper habitus ſi exponetur; ei', quam de prædeſtinatione attulimus, ſententiæ non modo non aduerſabitur, ſed etiam mirifice fauebit. Non enim negat Apoſtolus aliquid à nobis afferri, quod ante omnia tempora Deo cognitum occaſionem ipſi & quaſi cau-
2. de Aĩa. 41. ſam ſine qua non (συναίτιον diceret Ariſtoteles: abſolute enim cauſa
Clemens Alexandrinus in lib. de cauſis. eſt efficax illa, quam Græci συνεκτικὴν, & αὐτοτελῆ appellant) præbuerit confirmandæ in nobis miſericordiæ ſuæ; verum quale potiſsimum iſtud ſit, noſtro iudicio minime committendum profitetur, ſed diuinæ ſententiæ ſtandum; quæ iniuſta eſſe non poſsit: quod etiam nos ſuperiore libro ex D. Bonauentura affirmauimus. AC tamen paulopoſt, vbi oratione grauitatis pleniſsima auditores modeſte, & ſobrie ſapere docuiſſet; ſatis euidentem cauſam in ipſiſmet Iudæis, & gentilibus ineſſe oſtendit; quamobrem illi quidem eiecti, iſti vero ſuſcepti aman-
Cap. 12. ter fuerint. Ita etiam ad Hebræos ſcribens, cur Eſau reprobatus fuerit, non Dei voluntatem, punientis, in quibus vult, originis peccatum, ſed ipſius Eſau proprium peccatum cauſatur; hortaturque fideles ne illum imitentur. *Ne quis*, inquit, *fornicator, aut profanus, vt Eſau; qui propter vnam eſcam vendidit primitiua ſua: Scitote enim quoniam, & poſtea cupiens hæreditare benedictionem reprobatus eſt: non enim inuenit pænitentiæ locum, quamuis cum lachrymis quæſiſſet eam.* De quo tamen loco, quemadmodum etiam de obduratione Pharaonis, ſeorſum nonnulla nobis dicenda ſunt. Nec vero pigebit præclara, quæ aliquando
In pſal. 136. in hanc ſententiam D. Auguſtinus ſcripſit, verba recitare. *Eſau omnes carnales, Iacob omnes ſignificat ſpiritales; minores electi, maiores illi reprobati: vult & ipſe eligi? fiat minor. Edom autem appellatus eſt de cibo quodam lenticulæ rubro, ideſt roſeo quodam cibo. Bene cocta erat lenticula defricata: Concupiuit iſte Eſau à fratre ſuo, & ceſſit illi primatum ſuum victus concupiſcentia manducandæ illius lenticulæ. Ille autem ceſſit cibum voluptatis, & ſumpſit honorem dignitatis. Ita ex placito quodam inter eos factum eſt; vt ille maior, ille minor ſit, vt maior ſeruiret minori.* Audis vbi Auguſtinus aduerſariorum argumentis non premitur, quàm aperte hominis partes agnoſcat? *Vult*, inquit, *& ipſe eligi? fiat minor.*
Lib. de ſpiritu ſancto c. 20. D. autem Baſilius ita ſeruitutem iſtam interpretatur; vt eam, quamuis Eſau odio dignus eſſet, ex amore tamen potius, quàm ex odio ipſi putet impoſitam: quod ex Philone hebræo in libro de Nobilitate rem hanc copioſe explicante ſumpſiſſe videri poteſt. Atque omnino, vt ſuperiori libro innuimus, ex hoc ipſo D. Pauli de Eſau, & Iacob loco, abunde colligi poteſt, quàm conſtanter veteres & Græci, & Latini Patres aliquam in nobis prædeſtinationis, & reprobationis occaſionem agnouerint. Quod Origenis, Chryſoſtomi, Theophilacti, Oecumenij, Hieronymi, Ambroſij in hanc ad Romanos epiſtolam commentarios, & Ioannis Damaſceni quartum de fide librum legenti facile

conſta-

conſtabit. Illud autem valde à lectoribus peto; vt ſi quam huius noſtræ interpretationis partem minus probarint; non idcirco totam repudient; ſed auctores, quos laudauimus, adeant; atque ex eorum optimis ſcriptis ſarciant, & componant, quæcumque à nobis male coagmentata eſſe iudicauerint. Hanc vero interpretationem, quam ex græcis fontibus magnam partem deriuauimus, ab ea, quam ex Diui Dug. lib. 83. quæſtionum recitauimus, non multum differre, intelligenti homini perſpicuum erit. Nam quod D. Auguſtinus dicebat, Deum in iuſtificandis gentibus non ſpectaſſe ad opera, ſed ad fidem; id nos ex Græcis Patribus diximus Deum non ad operum ſubſtantiam reſpectum habuiſſe, ſed ad animi inductionem, alacriter ſe ſe Deo credentis, eique fidem habentis. Nec vero committendum eſt; vt quæ à D. Cyrillo Alexandrino optimo ſacrę ſcripturę interprete in hunc ipſum locum in commentariis in Malachiam allata ſunt, quamuis à Turriano iam recitata, omittam: qui quidem commentarij in Vaticana bibliotheca aſſeruantur. Explanans igitur verba illa Malachiæ, *Dilexi Iacob, Eſau odio habui*, ita inquit. *Cum dixiſſet Deus, dilexi vos; valde probabile erat venire illis ſtatim in mentem captiuitatis: quare optimam ad illos conſolandos rationem adhibens ſilentio prætermittit quæ acciderant; & demonſtrationem amoris erga Iudæos ſui ad principium, atque originem generis, ideſt ad Iacob reuocat; quem ſe ait dilexiſſe, odiſſe autem Eſau, quamuis illius fratrem. Vt enim ait Paulus, cum nondum nati eſſent, neque aliquid boni egiſſent, aut mali; Iacob elegit; ex quo genus Iudęorum profectum eſt; Eſau autem eiecit, ac reprobauit, ſed non* κατὰ πρόσκλισιν, ideſt, *inductionem animi à nulla ratione profectam, quæ in ſacris litteris acceptio perſonarum vocari ſolet: non eſt enim iniuſtus Deus, neque in iudicando in alteram partem propendet: ſed cum ſibi notum eſſet, qui illorum eſſent mores futuri; meliorem dilexit: ſicut Hieremiam antequam in ventre formatus eſſet, cognitum ſibi eſſe ait; ſanctificaſſeque ſe illum, antequam ex ventre exiret. Cognouit enim prophetam fore; aptumque & idoneum ad obeundam legationem, & futura prædicenda. Sic & nos ipſos ex fide iuſtificatos eſſe dicit Apoſtolus: quos enim præſciuit, & prædeſtinauit Deus conformes fieri imagini filij ſui; hos & vocaſſe, & iuſtificaſſe dicitur. Ergo ex præcognitione dilectus eſt Iacob, & Eſau iuſte odio habitus. Ait igitur: ò Iſrael dilexi quidem vos: non enim mentiar ſi hoc dixero: intelligetis autem magis quàm hoc verum ſit; ſi ſpectetis principium generis veſtri. Ambo enim ex Iſaac; ſed alter pius, ac probus Iacob, alter durus & dignus, quem auerſarer, Eſau. Idcirco animum appuli ad Iacob; & ſortem hæreditatemque aſſignatam Eſau deſtruxi, dedique eam vaſtandam; & Iacob, ideſt vos, ſiue regionem, quam habitaſtis, ſeruaui. Hoc autem, opinor, docere vult Iudæos hoc loco per Prophetam Deus, dilexiſſe ſe quidem Iacob non aliam ob cauſam, quàm quòd ſimplex fuiſſet, & probus; odiſſe*

vero Eſau, quia terrenis rebus deditus, omninoque dignus quem deteſtaretur; neque paſſuros ipſos fuiſſe calamitates, ac vaſtitatem; ſi Iacob imitari maluiſſent. Sed quia Eſau imitati eſſent; idcirco dediſſe pœnas.
Exodi 6. 33. Hæc Cyrillus. Procopius etiam Gazæus de loco illo diſputans, *Miſerebor cuius miſereor*, cum multa miſericordiæ genera ex ſacris litteris notaſſet, hoc loco miſericordiam illam accipiendam docebat, quæ eſt ἐκ τοῦ ἐφ' ἡμῖν, ideſt, in qua conſequenda ſunt etiam quædam partes liberæ voluntatis noſtrę. Verum longiores fortaſſe hac in re fuimus: quare pergemus ad reliqua; ſi illud vnum addiderimus, non eſſe, quod de illo altero Apoſtoli loco, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*, ſermonem producamus. Nam quamuis multi putent plurimum ad hanc prædeſtinationis quæſtionem facere; quaſi non aliam prædeſtinationis rationem afferre aut ſciuerit, aut voluerit Apoſtolus, quàm altitudinem incomprehenſibilem iudiciorum Dei; tamen longe mihi veriſimilius videtur dicere D. Bonauentura, facilem potius ad cognoſcendum futuram fuiſſe prædeſtinationis rationem; ſi nulla alia ſubeſſet ratio, quàm voluntas Dei, hos eligentis, illos reijcientis. Attente autem conſideret vniuerſum illud caput diligens lector: facile, ni fallor, intelliget tantum abeſſe, vt ſententiæ noſtræ officiat; vt potius mirabiliter faueat. Id enim ibi agebat Apoſtolus, vt oſtenderet omnium miſereri Deum, miris autem modis, humanæque mentis captum excedentibus omnium ſalutem procurare; dum Iudæorum ruina, tamquàm occaſione vtitur ad vocandas gentes; rurſusque per gentium fidem Iudæos prouocat, & inuitat: vt merito in præclaram illam exclamationem erumpat Apoſtolus. *O altido diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigables viæ eius.*

De loco illo, Ego indurau cor Pharaonis. *Cap. III.*

EX loco iſto eliciunt hæretici Deum, (quod manus ipſa ſcribens contremiſcit) peccatorum eſſe cauſam; & audent, (ecquid vero væſana illorum impudentia non audet?) peſtiferum iſtud dogma D. Auguſtino tribuere, quod ipſe ſexcentis locis vehementiſsime eſt deteſtatus. Recitabo, quæ ſummus ille vir ad articulos ſeptimum, & vndecimum falſo ſibi impoſitos reſpondet; vt lectori librum ipſum
Art. 7. adeundi laborem demamus. [*Quòd hæc ſit voluntas Dei, vt magna pars Chriſtianorum ſalua eſſe nec velit, nec poſſit.*] *Si de his hoc dicitur, qui pietatem Chriſtianæ conuerſationis, & fidei deſerentes in profanos errores, aut in damnabiles mores irreuocabiliter tranſierunt; non dubium eſt, quòd talem voluntatem habentes ſalui eſſe nolunt; & quamdiu ſalui eſſe nolunt,*

ſalui

ſalui eſſe non poſſunt. Sed nullo modo credendum eſt huiuſmodi homines in hanc diſperationem ex Dei voluntate cecidiſſe; cum potius Dominus alleuet omnes, qui corruunt, & erigat omnes eliſos. Nemo enim, niſi illius gratia erigitur; nemo, niſi illius gratia, ſtabilitur. Dei ergo eſt voluntas, vt in bona voluntate maneat; qui, & priuſquam deſeratur, neminem deſerit, & multos deſertores ad ſe conuertit. [Quòd quando patres inceſſant filios, & matres filij, vel quando ſerui dominum occidunt; ideo fiant, quia Deus prædeſtinauit, vt ita fieret.] Si Diabolo obijceretur, quòd talium facinorum ipſe auctor, ipſe eſſet inuentor; puto quòd aliqua ratione, hac ſe poſſet exonerare inuidia, & talium ſcelerum patratores de ipſorum voluntate vinceret: quia & ſi delectatus ſit furore peccantium; probaret tamen ſe non intuliſſe vim criminum. Quæ ergo inſipientia, quæue dementia definitur, ad Dei referendum eſſe conſilium; quod nec diabolo in toto adſcribi poteſt? qui in peccantium flagitijs, illecebrarum adiutor, non voluntatum credendus eſt eſſe generator? Nihil ergo talium negotiorum Deus prædeſtinauit, vt fieret: nec illam animam turpiter, nequiterque victuram ad hoc, vt taliter viueret, præparauit; ſed talem futuram non ignorauit, & de tali ſe iuſte iudicaturum eſſe præſciuit. Atque ita ad prædeſtinationem eius nihil amplius referri poteſt; niſi quod aut ad debitam iuſtitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem.] Si quis ſit, cui tanta D. Auguſtini auctoritas, tam perſpicuis expreſſa verbis, tot confirmata rationibus, Baſilius præterea, qui de hac re peculiarem libellum ſcripſit, alijque ſancti Patres non perſuadeant, vt impium illud Dogma deteſtetur; ei ſi me perſuadere poſſe putem; omnium plane hominum ſim ſtultiſsimus. Stet igitur catholica veritas, Deum peccati minime auctorem eſſe; neque in explicando loco iſto de obduratione Pharaonis a Catholicorum Patrum veſtigijs diſcedamus. Obduratio tum a ſeueritate, tum a clementia, & lenitate Dei, tum etiam ex quadam, vt ita dixerim, naturali conſecutione proficiſci poteſt. A ſeueritate quidem hoc modo. Sæpe Chryſoſtomus, & Auguſtinus docuerunt, Deum indurare non immittendo malitiam, ſed ſubtrahendo gratiam; quæ quidem gratia ad ineundam, atque inſiſtendam virtutis viam adeo neceſſaria eſt, vt cum illam Deus denegat, videatur ad peccata inducere; eo ſcilicet modo, quo nautæ abſentiam dicimus naufragij cauſam fuiſſe. Ita oramus, ne nos inducat in tentationem; quamuis Deus intentator malorum ſit. Petimus enim ſubſidium gratiæ; ſine qua fieri plane non poteſt; quin ſuccumbamus tentationi. Ita D. Cyrillus Alexandrinus explanans verba illa Eſaiæ, *Iratus es, & nos peccauimus*, cum illorum interpretationem (quæ etiam Diui Hieronymi, & B. Maximi monachi fuit) commemoraſſet; qui ibi figuratam quamdam locutionem agnoſcebant, atque ita verborum ordinem mutabant *Nos peccauimus, & tu iratus es*, Ti-

Art. 11.

D. Aug. in Io. tract. 53.

Cap. 64.

es, timentes nimirum, ne diuina ira peccati cauſa videretur; addebat ipſe probabilius ſibi videri; vt ex ira Dei nos dicamur peccare, quatenus ex prioribus peccatis in Dei offenſionem incurrentes, & gratiam amittentes, infirmi, atque imbecilli reddimur, ad ſequentes tentationes vincendas; atque ita nouis ſemper peccatis obruimur; multaque præclara in hanc ſententiam affert. Hoc poſito addamus illud, quod idem Chryſoſtomus notabat, ſi Deus ſemper quæcumque peccata remitteret, & gratiam largiretur; fore eam non gratiam, ſed incitamentum quoddam, & cotem nequitiæ. Nam ſi perpetuo per gratiam ſaluandi ſumus; numquam erimus boni. Atque idem tamen grauiſsimus auctor (quod etiam D. Cyrillus Hieroſolymitanus ſecunda catheſi diligenter tractat) ſçpe oſtendit, nullo vnquam tempore non vtilem eſſe pænitentiam: vt ex his pene contrariis locis intelligamus, valde improbos homines obſtruere ſibi ipſos aditum gratię, ac propemodum miraculi loco habendam eſſe eorum conuerſionem; nec tamen ijs etiam a patre illo miſericordiarum tantum auxilij denegari, quantum ſatis ſit ad ſalutem conſequendam: idque Manaſſis, Publicani, Latronis, multorumque aliorum exemplo Chryſoſtomus confirmat: dummodo ſcilicet velint reſipiſcere, ac ſerio in ſalutem ſuam incumbant; nec deſperationem, atheiſmum, effrenatam quamdam ſuperbiam in conſilium cogitationum ſuarum adhibeant; neque in profundum malorum ita veniant, vt iam ſuper eos puteus vrgeat os ſuum. In quam ſententiam multa etiam ſcribit D. Baſilius in homilia de pænitentia. Quinetiam ſanctorum hominum opinio eſt, qui multis, grauibusque flagitiis, & ſceleribus implicatus, officia tamen charitatis obire non intermittit, atque in orationibus, ieiuniis, eleemoſynis multus eſt, non ea quidem mente, vt per ea ſe putet, etiam ſi in iiſdem peccatis permaneat, conſecuturum ſalutem; ſed vt placet aliqua ratione Deum, maioremque illius ad ſe gratiam attrahat; qua adiutus emergere tamdem queat, & a peccatis liberari; hunc vix perire poſſe: idque eo fortaſſe loco ſignificare potuit Apoſtolus, cum ita ad Hebræos ſcripſit. *Confidimus autem de vobis dilectiſſimi meliora, & viciniora ſaluti; tametſi ita loquimur. Non enim iniuſtus Deus; vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis.* ſed hoc aliás. Idem vero Chryſoſtomus inquit Antiochum, & Eſau non inueniſſe locum pænitentiæ, eo quòd lachrymæ illæ vere pænitentium non erant, ſed inuidentium, & odio tabeſcentium: pręclareque B. Auguſtinus inter duorum Regum, Nabuchodonoſor, & Pharaonis pænitentiam magnum interceſſiſſe diſcrimen docet; ex quo ille quidem Deum placauerit, hic vero minime. Procopius autem in commentariis in Exodum ad ea verba *Eſt locus apud me*, afferens iſtam D. Pauli ſententiam ex epiſtola ad

In epiſt. ad Titū hom. 5 Rom. 5.

Ad Hebr. homi. 9. Ibidē hom. 12. & 14. In pſ. 50. hom. 2. In Matth. hom. 23.

Cap. 6.

In cap. 33.

ſa ad Hebræos, Eſau non inueniſſe locum pœnitentiæ, notabat idem valere locum pœnitentiæ, ac veram, & rectam pœnitentiæ rationem; quam Eſau minime ſecutus eſſet. Quamquam fortaſſe ea eſt iſtorum verborum expeditiſsima interpretatio, Eſau non inueniſſe locum pœnitentiæ in patre. Nullis enim precibus, ac lachrymis impetrare potuit, vt illum benedictionis in Iacob collatæ pœniteret, eamque mutaret. Nullo igitur non tempore, ſed præcipue poſt Chriſti aduentum, qui venit peccatores ſaluos facere, non iudicare, homini quamtumuis improbo, dum viuit, nec voluntatem in malo penitus obſtinatam gerit, gratiæ auxilium adeſſe, quo ſi vtatur, liberari à peccato queat, pie, opinor, creditur: ſed tamen quo diutius, & grauius quis peccat; eo ineptiorem ſe ad gratiam ſuſcipiendam plerumque reddere, parcioreque frui gratia negandum non eſt: atque ita ex ſeueritate obdurare, aggrauare, excæcare eatenus dicitur Deus; quatenus hominem minus minuſque in dies gratiæ ſuæ ſtimulis excitat, parciuſque ei lumen præfert. Igitur vt cauſæ vtriuſque ad obdurationem concurſus intelligeretur, ideſt liberæ voluntatis noſtræ in peccata ruentis, atque in ijs ſeſe pertinaciter voluntantis, & diuini propoſiti non valide retinentis, atque erigentis; contrarijs prope elocutionibus ſcriptura vtitur.

Ego indurabo cor Pharaonis.	*Aggrauauit Pharao cor ſuum.*
Induraſti Domine cor noſtrum ne timeremus te.	*Indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti.*
Domini fuit ſententia vt indurarentur.	*Nolite obdurare corda veſtra.*
Excæca cor populi huius, & aures eorum aggraua.	*Excæcauit eos malitia eorum.*
Indurauit Dominus cor Pharaonis.	*Dura ceruice, & incircunciſo corde.*
Aures eorum aggraua, vt non audiant.	*Aures ſuas aggrauauerunt.*
Tradidit eos in deſideria cordis eorum.	*Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt.*

His igitur, vt dicebam, prope diſsidentibus elocutionibus hoc ſignificatur, ad obdurationem vtrumque concurrere, & nequitiam humanæ voluntatis, & permiſsionem Dei cum auxilij ſubtractione: ſicuti etiam ſub contrarijs illis Prophetarum ſententiis: *Conuerte nos Domine, & conuertemur: conuertimini ad me, & ego conuertar ad*

Conc. Trid. ſeſs.6.cap.5. Epiſt ad Sixtum.

vos, ſancti Patres admoneri nos diuini auxilij, & noſtrarum partium declararunt. Auguſtinus autem docebat, Deum non ſine iuſta cauſa quempiam deſerere, nolleque ei auxilium præſtare; quamuis ea nos interdum cauſa lateat: ea autem peccatum originis eſſe non poteſt, (hæc enim patet) præcipueque in nobis; quibus illud iam per Baptiſmum fuit remiſſum. Perſpicua eſt Auguſtini ſententia in reſponſione ad xiiij. articulum. *Si in ſanctitate viuitur, ſi in virtute proficitur, ſi in bonis ſtudijs permanetur; manifeſtum eſt munus Dei; ſine quo nullius boni operis fructus acquiritur. Si autem ab his receditur, atque ad vitia, & peccata tranſitur; nihil ibi Deus malæ tentationis immittit: & receſſurum non deſerit, antequàm ille deſerat; & facit plerumque ne deſerat, aut etiam, ſi diſceſſerit, vt redeat. Cur autem illum retineat, illum non retineat, nec poſſibile eſt comprehendere, nec licitum inueſtigare: cum ſcire ſufficiat, & ab illo eſſe, quòd ſtatur, & non eſſe ab illo, quòd ruitur.* Oſtendimus, quomodo ex Dei ſeueritate oriatur obduratio peccatoris. Ex conſecutione autem naturali, hoc modo. Peccatum ſibi ipſum pœna eſt, dum vulnerat animam; ſimulque ad alia quidem ſuſcipienda vulnera maxime idoneam, & expoſitam; ad curationem vero ineptiſsimam reddit. Ex quo loco probabat Scotus ipſorum etiam damnatorum obſtinationem, vt continuata culpa eſt, non eſſe à Deo. Ipſa enim culpa eſt, quæ ſe ipſam auget, permittente tamen Deo. Ergo ad peccatum naturali quadam conſecutione comitatur obduratio. Ita ſeptuaginta legunt cap.ix. Oſee, *Propter multitudinem iniquitatum tuarum multiplicata eſt amentia tua.* Item quemadmodum natura ipſa fit, vt lumen, quod ſanis oculis vitale eſt, lippientibus ſummopere noceat; ita ipſum gratiæ auxilium, Euangelium, verbi prædicatio, quæ pijs, aut ſaltem timorem Dei cuſtodientibus hominibus ſunt ſalutares, impios, & contumaces magis obdurant, & excæcant ex ipſa prope natura rei. Ita Hieronymus, & interdum Chryſoſtomus inquiunt, à Deo obdurari hominem; quatenus natura obſtinatæ improbitatis ita fert; vt quæ ad ſalutem dantur, inueniantur eſſe ad mortem. Hoc igitur modo ex naturali conſecutione exiſtit obduratio. Cæterum Origenes notat (atque ab eo allatam huius loci interpretationem ſequitur fere Baſilius, & alij grauiſsimi Patres) ex beneuolentia quoque, & indulgentia non raro proficiſci. Ita enim Patres erga ingratos filios, ita beneuoli domini erga rebelles ſeruos, ita amici erga perfidos amicos ſæpe expoſtulant. Ego te indulgentia mea corrupi: ego aduerſus me armaui; hoc male te docuit facilitas mea; ac ſexcenta huiuſmodi. Hoc igitur tropo veriſimillimum mihi videtur iſta dici, *Ego indurani cor Pharaonis*, ideſt dum multis, ac magnis muneribus Pharaonem cumulaui, dum peccata ſemel, atque iterum ignoui; anſam quodammodo illi dedi, vt obdurarit cor ſuum,

D. Aug. 12. confeſs.

Lib. 4. diſt. 46.

In hom. q Deus non ſit auctor malorum.

cen

nec velit dimittere populum meum, niſi in manu forti. At deponenda mihi tandem] eſt priſtina mititas, & indulgentia; ſicque ille mihi tractandus eſt, vt illius duritia vtar ad gloriam nominis mei, & ad ſalutem accepti populi. Ita D.Eucherius dicebat, *Induratur cor à Deo; dum criminum pœna differtur*. Ita Diuus Euſtachius Antiochenus, *Plagarum remiſſio fuit Pharaoni cauſa cæcitatis. Videns enim, ſcriptura inquit, quòd data eſſet requies, ingrauauit cor ſuum*. Operæpretium vero eſt accurate audire; quæ à D.Baſilio ſcribuntur. *Quamobrem tametſi dicat aliquando Apoſtolus vaſa iræ aptata in interitum, non tamen aliquam apparationem in Pharaonem eſſe immiſſam opinemur: ita enim in apparantem culpa iuſtius referretur: ſed cum audieris vaſa; illud fac tibi in mentem veniat, vnumquemque noſtrum factum eſſe ad aliquem vſum; vt quemadmodum in magna domo aliud vas eſt aureum, aliud argenteum, aliud teſtaceum, aliud ligneum; ita varia cuiuſque noſtrum electio variæ illius materiæ ſimilitudinem repræſentet. Nam vas quidem aureum eſt; qui moribus eſt ſimplex, ſine dolo; argenteum vero, qui paulo inferioris eſt notæ; teſtaceum vero; qui terrena ſapit, & aptus eſt, qui frangatur; ligneum vero; qui facile ex peccato ſordeſcit, ac materies fit ſempiterno igni. Eodem modo, & vas iræ dicitur; qui vaſis inſtar omnem diaboli efficientiam ſuſcipit, atque ex putredine malo imbutus odore, ad nullum amplius vſum conferri poteſt; ſed dignus tantum eſt, qui in tenebras proijciatur, ac pereat. Quamobrem, quo tandem tempore Pharaonem conteri opus erat; tunc prudens, ac ſapiens animarum gubernator ita omnia diſpoſuit; vt is clarus, omnibusque fama notus fieret; vt quando ipſe ob nimiam improbitatem curationi ineptus erat; alijs ſaltem ipſo exemplo prodeſſet. Obdurauit autem ipſum diuturna patientia, ac ſupplicij dilatione augens illius improbitatem; vt cum denique ad ſummum perducta eſſet illius improbitas; diuini in eum iudicij iuſtitia elucceret. Propterea à leuioribus plagis initium ſumens, ac perpetuo deinceps grauioribus feriens, non molliuit illius effrænatam contumaciam: quin eum repperit diuinæ patientiæ contemptorem, & inductis in ipſum calamitatibus ex conſuetudine immorantem. Verum ne ſic quidem prius illum morti tradidit; quàm ipſe ſeſe in medios fluctus immerſit, ac ſuperbia cordis elatus iuſtorum iter ingredi auſus eſt, putauitque non minus ſibi, quàm populo Dei rubrum mare peruium fore.* Audis ex patientia Dei creuiſſe quidem Pharaonis improbitatem; ſed ipſius peruerſæ voluntati culpam omnem eſſe adſcribendam, non Deo; qui multis modis illius ſalutem procurabat, nec ante illum è medio tollere in animum induxit; quàm ipſemet precipitem ſe dare voluerit? Chryſoſtomus autem docet ipſam quoque Dei auerſionem à nobis, quam illis verbis deflebat Propheta *vſquequo Domine obliuiſceris mei in finem? vſquequo faciem tuam auertis à me*, Ideſt, cum facile à tentationibus vincimur, cumque interioris illius ad animum noſtrum.

De quæſt. noui teſtam. in epi. ad Rom.

In hom. in Gen.

In pſal. 12.

G diuinitus

diuinitus interdum illabentis gaudij expertes ſumus, non minimam eſſe curæ, & prouidentiæ partem. Nam & ij, qui inſano ſunt amore capti, cum ab ea, quam amant, ſe deſpici vident; illam aliquandiu omittunt, ac deſerunt, non quidem ex animo ſuo eijcientes, ſed potius id agentes, vt aliquod ſui deſiderium in illius animo excitent. Hinc interpretatur Apoſtolus reprobationem Iudæorum, gentiumque ſuſceptionem eo ſpectare; vt zelotypia quadam Deus animos Iudæorum prouocet. Hinc docent theologi ob hanc quoque cauſam dilatum eſſe aduentum Domini, vt homines interea infirmitatem ſuam agnoſcerent; ac ſuis viribus diffiſi Deo ſeſe committerent; illiusque benignitati ſalutem ſuam acceptam referrent. Multis autem modis ſacræ litteræ hanc diuini erga nos amoris vehementiam exprimere conantur: quod, ſi quis Prophetarum ſcripta accurate legat, facile intelliget. Hinc enim tantam perſæpe Deus iracundiam præſefert; vt in-

Hier. 5. & 6. terdicat prophetæ; ne pro Iſrael oret; negatque veniæ amplius locum

Theodorit' eſſe; nihil enim illos habere; ſuper quo propitius eſſe poſsit: verum-

5 c. 11. Oſee. tamen paulo poſt ad pænitentiam vocat. *Erudire Hieruſalem, ne forte por[...] n te deſertam terram inhabitabilem*. Hinc ſæpe conqueritur, illos ir[...]aſſe cor ſuum ſupra petram, habere oculos & non videre, aures [...] non audire, incircumciſas eſſe illorum aures, & audire non poſſe: ac nihilominus interea curam omnem adhibet; omnem quaſi lapidem mouet; vt pænitentiam, priſtinæque vitæ emendationem eliciat. *Ne forte egrediatur, vt ignis, indignatio mea, & ſuccendatur, &*

Cap. 6. *non ſit, qui extinguat.* Quare verba illa apud Eſaiam ſcripta, quæ nobis ſæpe hæretici obijciunt, *Audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua; ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eos*, tantum abeſt, vt odium indicent; vt flagrantem mihi potius amoris vim exprimere videantur. Quid enim hoc dictu eſt, *Ne forte conuertatur, & ſanem eos?* num fortaſſe pertimeſcendum Deo erat; ne ſi ille ſe conuertiſſet; inuitus veniam dare cogeretur? An non ſentis repræſentari patrem perdite amantem; qui ſuccenſens filio in hæc verba erumpat? Nolo ille mihi ſeſe in conſpectum det; fortaſſe enim illius aſpectus miſericordiam meam prouocaret; quam ei denegare ſtatutum cum animo meo habeo: ſi quis pro eo intercedat; non audiam: immo abeat quouis gentium; ſatis iam, ſatis lenis pater fui: Ac tamen, cum iſta dixerit; paulo poſt prodit deſiderium ſuum; vltroque ad eum communes amicos allegat; qui ſpem reconciliationis inijciant; qui ad paternum complexum inuitent. Quare quod præcipit Deus Eſaiæ,

Cap. 7. *Excæca oculos, aggraua aures*, idem eſt, atque illud, quod apud Hieremiam ſcribitur. *Et loqueris ad eos omnia verba hæc, & non audient te;*

& vo-

& vocabis eos, & non reſpondebunt tibi. Verba enim ſunt patris duram filij ceruicem cognoſcentis; perinde atque ita loquatur. Ego probe noui inueteratam huius populi improbitatem: ſcio ex legatione hac tua nihilo illum meliorem euaſurum, ſed potius duritiam illam ſuam, atque obſtinationem adauctum iri; vt propemodum ad illos orationem habere, nihil aliud ſit, quàm eorum oculos magis excæcare, atque aures aggrauare. Sed tamen pater ſum: officio meo ſatisfactum minime puto; niſi omnia experiar. Ita etiam, vt diximus, docuit Chryſoſtomus, quemadmodum ſol imbecillam oculorum aciem perſtringit, non vitio ſuo, ſed oculi; ita diuinum ſermonem obdurare cor hominum, non ſua culpa, ſed eorum, qui nolunt attendere. Nec tamen eorum ſententiam reprehendo; qui ita interpretantur. *Excæca oculos populi huius*; ideſt, prædic excæcandos. *Aggraua aures*, ideſt, prædic fore, vt audire nolint. Nam prædictionem eſſe, non imperium, indicare viſi ſunt ſeptuaginta interpretes; cum locum iſtum hoc modo reddiderunt. *Vade, & dic populo huic; aure audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non perſpicietis. Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus ſuis grauiter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt; ne forte videant oculis, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos.* Quam interpretationem ſecuti ſunt Matthæus in Euangelio, & Lucas in Actis. Ita Clemens Alexandrinus perſpicuis verbis docebat, *Non præbet Dominus ignorationem, (hoc enim ſentire nefas eſt;) ſed ipſam, quæ inerat, prophetice arguit.* Nec tamen, opinor, errabimus, ſi vtrumque ſenſum, tamquam ab eodem ſancto ſpiritu, ſed vnum vni, alterum alteri dictatum retinuerimus; quod faciendum eſſe docuit ſæpe Auguſtinus. Præclara vero omnino ſunt, quæ à Damaſceno in hanc ſententiam afferuntur; ac rem totam ſummatim comprehendunt. *Derelictionis*, inquit, *duo ſunt genera. Eſt enim derelictio œconomica; atque erudiens: Eſtque derelictio extrema cum deſperatione ſalutis: Oeconomica illa, & erudiens, vel ad correctionem, ſalutem, gloriam eius, qui derelinquitur, pertinet, vel ad aliorum quoque æmulationem, & imitationem, vel etiam ad gloriam Dei. Extrema autem derelictio eſt; cum poſtquàm Deus cuncta ad ſalutem fecit; homo ex proprio propoſito, ac dedita opera curationi ineptus, deſperatus, omninoque inſanabilis manet.* Oſtendimus hominum obdurationem & in naturalem quamdam conſecutionem, & in ſeueritatem, & in clementiam Dei referri poſſe; vt ſacrarum litterarum ſententias nunc vno, nunc altero, interdum etiam pluribus modis, prout magis conuenire videbitur, interpretantes, nihil ſumma Dei iuſtitia, ac miſericordia indignum pronunciemus.

Lib. 1. Stromatum.

Lib. 2. de fide c. 29.

De locis quibuſdam noui Teſtamenti.
Cap. I I I I.

Cap.4. QVæ ex Euangelijs attulimus; eodem modo explicabuntur. Marci enim verba, cum inquit, ijs, qui foris ſunt, in parabolis omnia fieri, vt videntes non videant, & ideo non potuiſſe credere, quia Eſaias dixerit, *Excæcauit oculos eorum*, hoc vnum ſibi volunt, ijs tantum pateſacienda eſſe myſteria; qui per fidem, & obedientiam introaceſsiſſent; reliquis autem, qui foris manere volunt, atque audientes audire nolunt, in parabolis loquendum, ne promantur margaritæ

Cap.13. ſuibus: quod præclare indicauit Matthæus factum illud hoc modo narrans. *Accedentes diſcipuli dixerunt ei; quare in parabolis loqueris eis? qui reſpondens, ait illis, quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum: illis autem non eſt datum. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit. Qui autem non habet; & quod habet, auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt, vt adimpleatur in eis prophetia Eſaiæ dicentis. Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis: incraſſatum eſt enim cor populi huius, et auribus grauiter audierunt, et oculos ſuos clauſerunt: ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et conuertantur, et ſanem eos.* Ipſorum igitur culpa fuit. Continere me

In Matth. hom.46. non poſſum, quin præclara illa, quæ à Chryſoſtomo in huius loci interpretatione afferuntur, ſubijciam. Quid enim mea pro illis ſupponam, ærea pro aureis? *Aperire igitur oculos eorum oportebat, inquies, quando quidem non videbant. Oportebat ſanè: ſi, quòd natura cæci eſſent; ideo non videbant. Verum, quoniam ex voluntate oculos claudebant; ideo non dixit ſimpliciter, non vident, ſed, videntes non vident: vt à praua illorum mente cæcitatem proficiſci intelligeremus. Nam cum vident Dæmonia eijci; dicunt in Beelzebub principe dæmoniorum dæmonia eijci. Cum audiunt, me eos ad Deum adducere, nec me vlla in re ab illius voluntate diſſentire; ipſi me non eſſe à Deo contendunt. Quoniam igitur contra veritatem, quam viderunt, & audierunt, iudicant; ideo ipſam etiam audiendi facultatem illis adimo. Audiendo enim nullum ipſos quæſtum facere, ſed maiore potius ſe peccato illigare, vſu compertum erat. Non enim infidelitatis dumtaxat crimen ſubibant; verumetiam, quòd accuſabant, conuicijs proſequebantur, & inſidiabantur; maiorem ſibi criminum cumulum exaggerabant.* Et paucis interiectis. *Vides, quàm enucleate Propheta iſta prædixit? quàm aperte in illos culpam reiecit? Non enim dixit, non videbitis; ſed videbitis, & non videbitis; nec dixit, non audietis; ſed audietis, & non intelligetis. Quare ipſi ſe vera intelligentia priuarunt; qui aures obſtruxerunt, oculos clauſerunt, corda obdurarunt. Neque enim non audiebant; ſed grauabantur audire: hoc autem faciebant; [ne quando conuertantur, & ſanem eos.] Magnam nimirum, ac longe prouectam eorum im-*

probitatem

probitatem ſignificat, ac de induſtria ipſos ſe auertere oſtendit; quamquam his verbis incitat etiam ipſos, atque attrahit; dum indicat fore, vt ſi conuertantur, ſanitas ipſis reſtituatur; perinde, ac ſi quis ita diceret: refugiſti à conſpectu meo, & gratiam habeo: nam ſi dignum me putaſſes, quem viſeres, ſtatim placatus tibi affuiſſem. Etenim, qui huiuſmodi verbis vtitur, reconciliationi aditum dat. Ita igitur hoc loco, cum inquit, ne quando conuertantur, & ſanem eos, vtrumque euenire poſſe oſtendit; nimirum, vt homines conuertantur, & conuerſi adipiſcantur ſalutem: ſimulque declarat omnia ſe ad illorum ſalutem, non ad ſuam gloriam facere. Niſi enim illorum conuerſionem, ac ſalutem cupiiſſet; tacuiſſet profectò; neque in parabolis etiam quidquam locutus eſſet: nunc vero hac ipſa orationis obſcuritate eos ad quærendum excitat. Et paulo poſt. *Neque illud obiicias, obſcure ipſis hæc dicta fuiſſe: potuiſſent enim opportune accedere, atque interrogare; ſicut & diſcipuli fecerunt: ſed ſocordia, ac ſegnitia corrupti noluerunt.* Hæc igitur de Marci loco. Eadem vero & in Ioannis locum conueniunt; quod eiuſdem optimi explanatoris verba declarabunt. *Vides rurſus hanc particulam [Quia] non cauſam ſignificare, ſed euentum. Neque enim quia dixit Eſaias; non crediderunt: ſed quia non erant credituri, ideo dixit. At enim quamobrem non ita dixit Euangeliſta; ſed incredulitatem à prophetia, non prophetiam ab incredulitate exiſtere inquit, ac progreſſus hoc idem efficacius exprimit ita ſcribens, propterea non potuerunt credere, quia dixit Eſaias? Nimirum magnam hinc vult ſcripturæ certitudinem demonſtrare; nec aliter, ac prædictum ſit, eueniſſe. Ne quis enim diceret, Ecquid cauſæ fuit, cur venerit Chriſtus? an neſciebat non credituros? Prophetas, qui hoc nouerant, inducit. Venit autem, ne illis peccati ſui vlla relinqueretur excuſatio. Quæ prædixit Propheta, tamquam omnino futura prædixit: niſi enim prorſus futura nouiſſet; ſane haud prædixiſſet. Erant autem ſine dubio futura; eo quòd illi curationem omnem repudiaturi eſſent. Non potuerunt autem, ideſt noluerunt: neque te admiratio capiat. Nam & alibi inquit, [qui poteſt capere, capiat:] ita nonnumquam poteſtatis nomine loco voluntatis vtitur, & iterum. [Non poteſt mundus vos odio habere, me autem odio habet.] Hoc & communi ſermone vſurpatum videmus. Ita enim dici ſolet, non poſſum hominem iſtum diligere: negamus enim id poſſe, quod valde nolumus: & iterum, non poteſt ille fieri bonus: & Propheta, [ſi mutabit Aethiops pellem ſuam, & Pardus varietatem ſuam, & populus hic poterit benefacere, qui didicit mala.] Non enim negat fieri poſſe, vt bene agat, ſed quia non vult, ideo inquit non poſſe. Quod autem hoc loco dicit Euangeliſta, hoc modo accipiendum eſt, fieri non potuiſſe, vt Propheta mentiretur, non tamen fieri non poſſe, vt crederent. Licebat enim Prophetæ illis etiam credentibus veraci eſſe: non enim prædixiſſet non credituros, ſi credituri fuiſſent. Quid ergo, inquies, non iſto modo locutus eſt Euangeliſta? quoniam ſuas proprietates habet ſcriptura, quibus concedendum.*

Cap. 12. In Ioã. hom. 67.

Non

Non agam impudenter: neque olori canenti anſer obſtrepam, quamobrem optima iſta, & dilucida ſanctiſsimi, & doctiſsimi hominis interpretatione, quam D. etiam Auguſtinus totidem pene verbis expreſsit, contenti ſimus. Idem vero Chryſoſtomus locum illum explicans, *Sed dixi vobis, & non creditis mihi; quia non eſtis de ouibus meis: oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas; & ſequuntur me; & ego vitam æternam do eis*, optime in eamdem ſententiam ſcribebat. *Attende quomodo eos reijciendo, vt ſe ſequantur, hortatur. Vos, inquit, me non auditis; neque eſtis oues: qui ſequuntur me; hi ſunt ex ouili. Hæc autem dicebat; vt oues fieri adniterentur.* Hoc igitur ſecundum Dei gratiam facit ouem Christi, obtemperare Deo vocanti, vocem illius ſequi, deteſtari commiſſa crimina, cauere in poſterum. Et quamdiu quis in hoc propoſito perſeuerat, tamdiu ouis Chriſti eſt, nec de illius manu rapi vllo pacto poteſt. Sunt autem D. etiam Auguſtini verba in caput tertium Ioannis diligenter perpendenda. Nam cum dixiſſet Euangeliſta, *Hoc eſt autem iudicium: quia lux venit in mundum; & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim, qui mala agit, odit lucem, & non venit ad lucem: vt non arguantur opera eius; qui autem facit veritatem, venit ad lucem; vt manifeſtentur opera eius; quia in Deo ſunt facta*, ita ratiocinabatur. *Fratres mei, quorum bona opera inuenit Dominus? Nullorum: omnia enim opera mala inuenit. Quomodo ergo quidam fecerunt veritatem, & venerunt ad lucem? Et hoc enim ſequitur. Qui autem facit veritatem; venit ad lucem. Sed dilexerunt, inquit, tenebras magis, quam lucem. ibi poſuit vim. Multi enim dilexerunt peccata ſua, & multi confeſſi ſunt peccata ſua; quia, qui confitetur peccata ſua, & accuſat peccata ſua; iam cum Deo facit.* Ibi, inquit, poſuit vim, quòd dilexerunt tenebras magis, quàm lucem, quòd peccatis ſuis delectati ſunt, quòd in ijs perpetuo ſe volutare decreuerunt, quòſt gloriam inuicem accipientes, gloriam quæ à Deo ſolo eſt, non quærunt: ideo ad fidem, quæ optimam vitam requirebat, non venerunt: cum alii, licet peccato obnoxij, tamen oborta veritatis luce emergendum ſibi iudicarint, & patefacto viuo fonte, ciſternis diſsipatis minime ſibi diutius incubandum duxerint, idcircoque veram religionem libentiſsime ſuſceperint. Audi Chryſoſtomum eadem afferentem. *Non enim*, inquit, *qui male fecit, non venit ad lucem: ſed qui in malis perſeuerat operibus, ideſt qui ſemper in vitiorum luto inhæreſcit, neque vult meis ſubijci legibus, ſed his violatis audacter fornicatur, & cætera, quæ prohibentur, committit: hic enim accedens tamquàm fur in luce manifeſtus fit; idcirco ſub ditionem venire meam recuſat.* Illi igitur ouibus Chriſti adnumerabuntur, & à Deo intelligentur præordinati ac præculti ad vitam (quod in Actis ſcribitur) qui ſuas non diligunt tenebras, & ciſternas, & præeunti gratiæ obſecundabunt: Contra autem in hunc

Tract. 53. in Ioan. Ho. 60.

Tract. 12.

In Ioã. hom. 27.

Cap. 13.

in hunc beatum gregem illi aut non admittentur, aut admiſsi eijcientur; qui peccandi licentia delectantur; qui, cor ſuum obdurant; qui oculos claudunt; qui aures aggrauant. Nam, qui in hac ſententia perpetuo manent, quemadmodum manſuri erant illi, quos tanto ante præuidebat Eſaias, ij certe credere in Deum, & Chriſto vocanti obedire minime poſſunt. Reſtant ea Ioannis verba perpendenda. *Omne, quod dat mihi, pater ad me veniet.* Quæ tamen miror, cur doctis hominibus tantum moleſtiæ exhibuerint. Nam totam illius capitis ſeriem, ac ſententiarum contextum perpendenti facile conſtabit, hoc à Domino ſuſcipi oſtendendum, non diſsidere voluntatem ſuam à voluntate patris, ſed ideo deſcendiſſe ſe de cœlo, vt faciat voluntatem eius, qui miſerat. Quamobrem, quemadmodum dicitur filius tradere regnum patri, quoniam is nobis aditum aperuit; ita dicitur pater dare poteſtatem, iudicium, regnum filio; quoniam hęc eſt voluntas patris, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Quoniam igitur optime conſentientes voluntates, vel eadem potius voluntas patris, & filij eſt; propterea, Omne quod dat filio Pater, ad filium veniet, & filius non eijciet, ſed complectetur, fouebit, reſuſcitabit. Tunc autem dat nos filio pater; cum ei trahenti non obluctamur, ſed vt magis adhuc trahat, oramus, *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum;* omninoque cum & nos virilem noſtram, licet perexiguam partem deſiderari minime patimur. Vtitur autem ſcriptura trahendi vocabulo ad magnam gratiæ, & neceſsitatem, & efficaciam indicandam: quod cum ab aliis accurate tractatum ſit, non eſt, cur acta agamus. Hęc de locis ſcripturę, quæ magnam ſemper attulerunt dubitationem: ijs enim ſtuduit de principio animus occurrere; quòd iſta potiſsimum noſtram labefactare ſententiam exiſtimantur. Cap. 6.

Quæſtionum de infidelibus, & infantibus ſine baptiſmo, aut ſtatim à baptiſmo obeuntibus explicatio. Cap. V.

SEd erant præterea quæſtiones nonnullæ, quæ & ipſę diligenter explicari poſtulabant: Vna de infidelibus, altera de pueris ſine baptiſmo, aut ſtatim a baptiſmo decedentibus. Ac ſane, quod ad mirabilem illam nationum diſtinctionem pertinet, vt vni Hebraicæ ante Domini aduentum videatur Dei conceſſa eſſe notitia, reliquæ autem omnes in tenebris relictę, poſt aduentum item non in omnes eodem tempore propagata; confugiendum eſt ad modeſtiam illam Apoſtolicam. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ.* Veriſimile mihi quidem ſit, aliquid vidiſſe Deum in hominibus, quod copioſius interdum,

interdum, aut parcius promendæ gratiæ quaſi occaſionem dederit; huiuſque ſententiæ habeo non contemnendos auctores. D. enim Dionyſius aperte docet non idcirco populum Hebræum eſſe notitiam Dei aſſecutum, reliquas autem gentes in idololatriam decidiſſe; quòd ſolus Michael Angelus Iudaicæ nationis princeps boni cuſtodis officio functus eſſet; cæterarum vero Angeli minime; aut quòd infinitum diuini illius luminis pelagus non pateret ſemper omnibus ad hauriendum; ſed propterea, quòd cæteræ gentes proprio liberæ voluntatis nutu à recto tramite, quo ad Deum aſcenditur, declinaſſent. Item Oecumenius cur non permiſerit ſpiritus in Bithynia prædicari verbum Dei; hanc cauſam affert; quòd præuideret fore; vt ibi dominaretur eorum hæreſis, qui cum ſpiritu bellum ſuſceperunt. Cæterum vt hæc recte dici exiſtimamus, cum verecunde, ac timide dicuntur; ita in immenſam illam abyſſum iudiciorum Dei temere ſe immergere; vt certo ſtatuere te poſſe credas; quæ nam ratio huius diſcriminis fuerit; vtrum hi chariſsimi propter patres; illi vero non ita; vtrum hi hoc tempore, illi alio maiorem propenſionem, atque obedientiam allaturi fuerint; arrogantis plane hominis eſt, ſuumque modulum minime agnoſcentis. Ac tamen, quamuis rei huius cauſas afferre nequeam; illud tamen affirmare cum Ambroſio, & aliis ſanctis patribus non dubitarim; nemini vnquàm, quod in ſe eſt, facienti defuiſſe, aut deeſſe diuinum auxilium. Quod vt clarius fiat; primum animaduertendum eſt, fidem, ſine qua fieri non poteſt, vt Deo placeamus, non eamdem omni tempore, & ab omnibus hominibus requiri. Ante Domini aduentum, pauci ex Hebræis explicatam in Chriſtum fidem habebant; ſed ex ea fide, qua per legem, & prophetas Deo ſeſe committebant, conſequebantur ſalutem. In ea vero id vnum videbatur explicatum; quod, cum pronunciaſſet Apoſtolus ſine fide impoſsibile placere Deo, continuo ſubiecit. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Id vero, cur non etiam poſt Domini aduentum de ijs exiſtimari queat, ad quos nulla Euangelij notitia peruenit, aut mehercle peruenire potuit, quique vnà cum lacte nutricis impias opiniones ſuxerunt; plane non video. Nam, ſi fides in Chriſtum explicata dumtaxat poſt Euangelij promulgationem requiritur; certe ab ijs minime videtur requirenda, qui Euangelium audire non potuerunt. Nam ipſis quidem perinde eſt, ac ſi non eſſet promulgata. Deinde hoc quoque conſtituamus, facere hominem, quod in ſe eſt; cum luminis, quod è vultu diuino ſignatum in nobis eſt, ideſt rationis naturalis, & conſcientiæ ductum ſequitur. Hæc enim ea lex eſt, quæ inſcripta in cordibus indicat, quæ ſint agenda, & à quibus abſtinendum. Nec tamen ad naturalem iſtam legem implendam non eſt neceſſaria gratia, ſed miſericors Deus homini ſuas agenti partes eam non denegat. Sic per legem Moſaicam cognoſcebatur

De eccl. Hier. cap. 9.

Act. c. 16.

Cap. 11.

tur

tur peccatum; ſed quò à peccati tyrannide nos omnino vendicare in libertatem poſſemus; gratia opus erat. D. Thomas, vt ſuperiore libro diximus, affirmare non eſt veritus, eum, qui annos diſcretionis attingens, ac de ſe deliberans bonam ſibi vitam colendam ſtatueret, ex gratia conſequi remiſsionem peccatorum. Et quoniam fides iſta generalis, ac non explicata vix tantas vires aduerſus peccati tyrannidem habet, vt, qui in ea ſola diutius perſeuerat, à prolapſione valde ſibi metuere neceſſe non habeat, aut certe quoniam ſtare in via Dei regredi eſt, & vnà cum ætate virtutes quoque debent accreſcere; ſanctorum Patrum opinio eſt, imminente periculo fore, vt homini, qui donis naturalibus, & gratuitis recte vtatur, cumulatior, atque explicatior fides, & charitas infundatur, aut per occultam inſpirationem, atque afflatum, aut per Angelorum miniſterium, quomodo inquit Dionyſius multos ex gentibus ſalutem adeptos eſſe, aut per doctoris operam, quod in Cornelio Centurione factum eſt. *Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit.* Quamobrem ſæpe docet Chryſoſtomus fieri non poſſe, quin, ſi quis vitam, quantum in ſe eſt, bonis moratam moribus afferat, fidem quoque per Dei gratiam con ſequatur: quin & magno illi Patriarchæ Abrahæ ideo ſe patefeciſſe Deum, quòd ipſe antea lumine naturali recte vſus eſſet. Dantes autem Aligerius illuſtris non modo poeta, ſed etiam Theologus in ea videtur fuiſſe ſententia, qui vel ante Chriſti aduentum Dei notitiam, qualis apud Hebręos erat, non habuerunt, vel poſt ſalutarem illum aduentum ſine baptiſmo deceſſerunt, interea tamen nullis flagitiis, nulliſque ſceleribus obnoxij, eos ſimilem limbo puerorum locum manere. Cui ſententiæ ſimile eſt, quod de Traiani anima diſputat Ioannes Diaconus. Gregorius autem Nazianzenus in præclara illa oratione in ſanctum baptiſma, cum varia hominum, qui baptiſmum non ſuſciperent, genera, & quaſi gradus notaret, iis, qui aut ob inſcitiam, vt infantes, aut vi aliqua impediti ſine baptiſmo quidem, minime tamen improbi diem obirent, medium quemdam locum attribuit, pœnæ, gloriæque expertem: quemadmodum etiam D. Cyrillus Hieroſolym. putat Ioannis baptiſmum peccatorum dumtaxat remiſsionem, non filiorum adoptionem, ac regni hæreditatem præſtitiſſe. Et auctor operis imperfecti in Matthęum eos, qui legis quidem, ſed non Euangelij pręcepta ſeruaſſent, non quidem mortem ſubiiſſe inquit, ſed tamen nec gloriam habuiſſe; ac rurſus, qui in timore ſeruiunt Deo, pœnam quidem euadere, mercedem autem iuſtitiæ non habere. Et Ioannes Damaſcenus in oratione de iis, qui dormierunt, multa ad hanc eamdem rem pertinentia affert, digna plane, quæ accurate perpendantur. Cæterum illud ſatis exploratum eſt, quemadmodum adultis hominibus, qui, quod in ſe eſt præſtiterunt, votum, magnaque baptiſmi cupiditas, ad gratiam, quæ gloriæ ſemen, cæleſtiſque hæreditatis pignus eſt, conſequendam ſufficit, ita qui gratiam minime eſt aſſecutus,

Matth. 13.

In vita beati Gregorij lib. 2. nu. 44.

Cathe. myſt. 2.

Hom. 28. & 42.

ſecutus,eum lethali culpa carere non poſſe; cui quidem culpæ gehenna ſine dubio debetur. Potuit autem D. Gregorius, (nam Dantis quidem auctoritatem nihil moror)hoc ſibi velle, eos, qui vt homines ſatis extra noxam vixiſſent,ſeque ad baptiſmum præparaſſent, atque illius quidem ſuſcipiendi cupiditate affecti,remiſsiores tamen in ea cupiditate fuiſſent, conſequi gratiam,& ad quemdam felicitatis gradum peruenire, ſed tam longo interuallo à primis illis gradibus diſtantem, vt medius quidam locus appellari queat. Nam idem grauiſsimus auctor in eadem oratione,cum homines ad maturandum baptiſmum cohortaretur,eò deuenerat, vt ſignificaret eos,qui poſt baptiſmum nulla bona opera afferentes diſcederent,remiſsionem peccatorum conſequi; regnum non conſequi.

Ad Heb. hom. 13. Quod Chryſoſtomus quaſi explicans, in eumdem ſermonem ingreſſus accurate docet,tanto interuallo in cœleſtibus regnis eos, qui poſt baptiſmum bona opera afferunt,ab ijs,qui non afferunt,diſtare,vt illi quidem ſint multo beatiſsimi,& fulgeant ſicut Sol; hi vero minimarum ſtellarum vix apparentium inſtar obtineant, nec ſatis ſua ſorte præ illorum dignitate contenti viuant:vt propemodum medio quodam loco pœnarum,& felicitatis experte poſiti videantur. Verum de locis iſtis docti, & pij homines conſiderabunt. Maneat autem illud, adultos decedere cum ſola originis culpa non poſſe; ſed ſi ſuas agant partes, non deeſſe illis auxilium gratiæ, quo ſalutem, & regnum conſequantur; ſin minus, læthale peccatum admittere; cui iam gehenna debeatur: tametſi, qualem felicitatis gradum conſcendant, qui implicatam fidem habent, & qualem qui explicatiorem; vnus ille,opinor,nouit;qui iuſtiſsimus ſuis ponderibus omnia examinat;omnibusque in rebus certiſsimam iuſtitię regulam tuetur. Suauis igitur omnibus Deus, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius: ac nulli, qui officio ſuo non deſit, de ſalute deſperandum. Ex ijs, quæ diximus, conſtare poteſt, quæ de Tyriis, & Si-

De bono perſeu. c. 14. donijs aliquando ſcripſit Auguſtinus,non ita dure eſſe accipienda; quaſi Deus ob illam prædeſtinatorum, & reproborum partitionem initio factam, quibuſdam populis prædicari fidem, atque oſtendi miracula noluerit; quos, ſi prædicaretur, credituros præuiderat; quibuſdam vero prædicari voluerit, quos non credituros,ideoque maioribus etiam ſupplicijs obnoxios fore intellexerat: nimis enim iſta abſunt à benignitate Dei. Sed ita,vt puto, interpretandum eſt, non modo Tyriis, & Sidoniis, ſed ne iis quidem, qui in abdituſsimis ſiluis viuunt, ſuas agentibus partes fidem ſaltem implicatam,& gratiam denegari: cæterum minime

Ad cap. 11. Matth. fuiſſe conſentaneum (quod pulchre expoſuit Hieronymus) vt perſona Domini per vniuerſum orbem diſcurreret; ſed vni ſelecto antiquitus populo hoc egregium donum conferendum fuiſſe. Quare ipſemet teſtatur non eſſe ſe miſſum, niſi ad oues, quæ perierant domus Iſrael. Hoc igitur inſigne munus ſi alijs datum non eſt; idcirco datum non eſt, quia

non

non debebatur; licetque patrifamilias quibuſdam ſeruis dare quinque talenta, aliis vnum, vel duo. Atque hoc fortaſſe videbat Auguſtinus, cum ita dixit, poſſe, quæ ad Tyrios, & Sidonios pertinent, alio modo exponi. Verum hæc à Pighio, & Catharino ſatis accurate ſunt tractata: nobis quidem ſatis fuit digitum ad fontes intendere.

Quod autem de pueris ſine baptiſmo, atque in ipſo etiam vtero decedentibus obiiciebatur; eo minorem nobis, quàm D. Auguſtino, & Fulgentio moleſtiam exhibet, quo ex communi theologorum conſenſu illud iam firmius eſt conſtitutum, nulla illos, quæ ſenſum lædat, pœna torqueri; quinetiam tametſi Dei facie non fruantur, idcircoque præ illorum, qui fruuntur felicitate, damnati vocentur; ad tantam nihilominus Dei cognitionem peruenire, vt non modo tolerabilem, ſed etiam ſat iocundam, naturęque hominis conſentaneam vitam agant. Quamobrem, vt illud cogitare nequeo, quin totus horream, ac contremiſcam, patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis vllum hominem ad ſempiternam ſenſus pœnam ob nullum aliud crimen, quàm, quòd natus eſt, damnare; ita mihi nulla ſeſe abſurditas offert, dum ita cogito, aliquibus pueris chariſsimis propter patres, aut aliam forte ob cauſam, baptiſmi, cœleſtisque felicitatis munus, quod ſupra naturam eſt, conceſſum eſſe; aliquibus vero non ita charis eſſe denegatum; atque eoſdem tamen in naturali, nec deflendo ſtatu eſſe relictos: quod ipſum etiam ad vniuerſitatis huiuſce expletionem quodammodo faciat. Ac ſane his etiam tribuerat Deus tantum auxilii; quantum ſatis erat ad cœleſtem felicitatem conſequendam; nimirum in parentibus; quorum officium eſt theſaurizare filiis paruulis. Quando autem illorum vel infidelitas, vel negligentia, aut etiam aeris, vel temperamenti vitium aliquod infantes tanto bono priuauit; ſecundis quidem cauſis minime putauit Deus vim eſſe afferendam; ſed ipſos tamen in ſat tolerabili vitæ conditione collocauit. Quinetiam adeo patrum merita in filios redundare Græci putant, vt Chryſoſtomus eleemoſynas pro infantibus à patribus factas plurimum ipſis prodeſſe non dubitet. Neque hos igitur Deus abſolute decreuit ad regnum non eſſe admittendos, ſed illo adiuncto, quòd non putauit ſecundarum cauſarum curſum eſſe interrumpendum. Vtrum vero, quemadmodum de adultis in peccato decedentibus innuit B. Gregorius, perſpicue docet Chryſoſtomus, illis idcirco vitam adimi, quoniam videat Deus nunquam illos pœnitentiam acturos, ſed peccata peccatis cumulantes, maius ſibi, ſi vixerint, exitium comparaturos, & quemadmodum ſcriptura inquit, placentem Deo factum dilectum, & viuentem inter peccatores raptum eſſe, ne malitia mutaret intellectum eius; ita etiam infantes illos ſecundis cauſis interimendos facilius Deus permittat, quos, ſi viuât, gehennam ſibi paraturos cognoſcat; equidem puto magis pie affirmari poſſe, quàm negari: nec Grego-

In acta hom. 21.

In Matth. hom. 31.

rij Ariminenſis argumenta aduerſus iſtam ſentētiam valent: dummodo illud ſemper teneatur, quando ſint ſecundæ cauſæ impediendæ, quando prouehendæ, quando vim ſuam exercere ſinendæ, quando ſpecialibus priuilegiis quiſpiam fouendus ſit; vni Deo exploratum eſſe, præterea nemini. Libet duabus Fauſti non abſurdis, opinor, ſententiis hunc locum concludere. Prima eſt de infantibus à baptiſmo obeuntibus, atque in regnum admiſsis. *Quid rationis eſt*, inquit, *vt interrogare velis occulta, cum ſolicitudini tuæ pleniſſime videas reſpondere manifeſta? quid vtilitatis eſt certa omittere, & incerta conſulere; de quibus nihil inuenis canonica lectione conſcriptum? non intelligis, quòd in veritatis iniuriam perſcrutaris; quicquid veritas ſcire te noluit? Materiam de liberi arbitrij ratione proponis: & ad diſcutiendum infantiæ ſtatum pernicioſo errore delaberis, in quo nullum penitus veſtigium liberi arbitrij, nullum apparet propriæ voluntatis indicium.* Altera vero eſt de pueris, non autem puellis occiſis in Bethleem. *Hic ergo decreti ratione ceſſante, mors pueris pro diaboli infertur furore: mortis vero beatitudo pro Dei honore confertur. non ergo eos prædeſtinatio morti addixit: ſed cauſæ occaſio conſecrauit.*

1. lib. de lib. arb. c. 15.

Quomodo voluntas Dei non ſit infirma. Cap. VI.

QVod vero hæretici confidenter ſtatuunt, multos homines eo tantum procreari, quo æternis cruciatibus torqueantur, ac pœnam acerbiſsimam eorum peccatis decerni, qui vi coacti ea commiſerunt, aut potius, quæ Deus ipſe (proh nefas) ſub illorum perſona admiſit; nulli, opinor, ſobrio homini veriſimile vnquam fiet. At enim inquiunt, ſi Deus in omnes liberalis fuiſſet, ac neminem deſtinaſſet ad pœnam; non habuiſſet, in quem iuſtitiæ ſuæ exempla ederet: itaque ſola ipſius miſericordia laudaretur. En ſatis grauis cauſa, cur Deus exerceat crudelitatem. Videlicet non ſatis magnum Angelis damnatis iuſtitiæ ſuæ documentum ſtatuerat: aut multum illi deperit, niſi ipſius iuſtitia à nobis laudetur. Immo vero, ſi eo modo, quo ipſi volunt, Deus agat; quo pacto ſua illi iuſtitiæ ratio conſtet, quod etiam D. Auguſt. non raro dixit, reperire non poſſumus. Nunc vero perſpicue elucet; cum ſua omnibus oblata gratia, omnibusque ſaltem adultis ex miſericordia ſua ad vitam prędeſtinatis, & vocatis, eos, qui ſe illi dederunt, commiſeruntque, iuſte coronat; eos, qui ſe ingratos, aut repellendo, aut abijciendo gratiam præbuerunt, iuſte punit. Ac ſane mirum ſit; ſi Ada non peccante omnibus vocandis ad vitam (vt ſuperiore libro diximus) nihil Deo timendum fuerit, ne ipſius iuſtitia in tenebris deliteſceret; nunc autem cum poſt peccatum illud multa ſeueritatis exempla edidit, ſi oēs in Chriſto vocet, & prædeſtinet; magnam iacturam faciat ꝙ iuſtitiæ nomine laudari poſthac non poſſit. Mihi quidem iſta videntur perſpicue abſurda. Nec illa Apoſtoli verba *Quòd ſi Deus volens oſtendere iram*, quidquā ad hanc rem faciunt. Nam, vt in-

integra totius illius loci interpretatione oſtendimus,hoc vnum ſignificat Apoſtolus,cum Deus vult oſtendere iram ſuam(vult autem,quando hominum obſtinata improbitas id poſtulat) differre tamen vindictam, quoad poteſt, ac multam adhibere patientiam. At enim rurſus obijciunt,infirma Dei voluntas erit; ſi velit omnes homines ſaluos facere, nec tamen omnes fiant. Audire poterant D. Auguſtini reſponſum ab alijs noſtris recitatum,ac deponere errorem ſuum. *Vult*,inquit,*Deus omnes homines ſaluos fieri,& in agnitionem veritatis venire: non ſic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium; quo vel bene, vel male vtentes iuſtiſſime iudicentur. Quod cum ſit;infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt; cum eius Euangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt; verum ſeipſos fraudant magno, & ſummo bono, malisque pœnalibus implicant experturi in ſupplicijs poteſtatem eius; cuius in donis miſericordiam contempſerunt. Ita voluntas Dei ſemper inuicta eſt: vinceretur autem;ſi non inueniret; quid de contemptoribus faceret;aut vllo modo poſſent euadere;quod de talibus ille conſtituit. Qui enim dicit,verbi gratia, volo,vt hi omnes ſerui mei operentur in vinea,& poſt laborem quieſcentes epulentur, ita vt quiſquis eorum hoc noluerit,in piſtrino ſemper molat;videtur quidem quicumque contempſerit, contra voluntatem Domini ſui facere:ſed tunc eam vincet; ſi & piſtrinum contemnens effugerit;quod nullo modo fieri poteſt ſub Dei poteſtate.* Adde quæ in libro de vera, ac falſa pœnitentia in hanc ſententiam ſcribuntur. quem quidem librum non eſſe D. Auguſtini facile conceſſerim; docti autem, pijque hominis eſſe non dubito;omninoque totus pene in ſententias,ac Decreta relatus eſt. In ſextodecimo igitur capite (quod integrum accurate legi peruelim)cum multa dixiſſet de miſericordia,ac gratia Dei omnibus ſeſe offerente, ac neminem deſerente,niſi deſeratur;iſta etiam adiungit. *Cui tamen ſententiæ non contradicit,[ſed omnia quæcumque voluit,fecit,]creauit enim quicquid voluit,nec plus creauit,quàm voluit: vult tamen in vnoquoque bonum,& in nullo malum. Sed ſic vult;vt homo, quem non vult peccare,non deſinat eſſe homo. Non tamen ita vult hominem non peccare, vt eum velit bouem ſtatuere. Non enim haberet, quem remuneraret, nec cui fulgorem ſuæ claritatis infunderet,nec quem cohæredem ſtatueret,nec in quo imaginem,& ſimilitudinem ſuam inueniret. Nec illius, qui tota iuſtitia eſt, fuit aliquem ſic creare,vt non poſſet peccare, niſi hoc promereretur in humana libertate. Vult itaque fieri bonos ſaluo vtriuſque eſſe,vt ipſe remaneat Deus,& iſte homo. Si enim formaret hominem ſine libertate; contra iuſtitiam faceret, quæ Deus eſt: ſi auferret dignitatem; humana dignitas non remaneret. Voluit itaque non peccare hominem,ſcilicet humanam naturam non amittere. Sic itaque pius eſt;qui noſtram vult ſalutem;& non eſt impotens, qui hoc vult ſaluo vtriuſque iure. Iuſtus enim eſt Rex,cuius ius tueri oportet: preſto ſemper eſt gratia,quæ numquam defuit,niſi prius expulſa: continue, & neceſſario, quod ſuum eſt,inſpirat,ſi eſt, qui recipiat: & expulſa reuertitur per pœnitentiam,*

De ſpiritu, & littera, c. 33.

Et,

Et, aut non pereat creatura, quam pietate ſua liberam creauit, & ex libertate ditatam; in auxilium gratiæ retinendæ, quæ ſemper præcedit omnem creaturam, fecit vt libere ſeruiret. Ad hanc protegendam, ad hanc non expellendam addidit Angelos, & ſanctos omnes beatos: addiditque omnes in æterna vita collocatos: addidit & in carne viuos, & totam ſanctam Eccleſiam omnibus & in omni ſuo bono ſuccurrentem: & quod maximum eſt, filium ſuum miſit in auxilium: quem tanta pro nobis pati decreuit, & interpellatorem conſtituit continuum, quem dilexit. Nihil poteſt his duobus locis ad tollendam dubitationem apertius, ad tuendam Dei miſericordiam illuſtrius, ad ſtatuendam libertatem voluntatis noſtræ grauius afferri. Quod autem in hoc ſecundo loco dicitur, gratiam quod ſuum eſt, neceſſario inſpirare; non ita accipiendum eſt; quaſi Deus non libere agat: ſed hoc ſignificat, gratiæ diuinæ ita proprium, ac naturale eſſe omnibus benigne facere, vt quodammodo neceſſarium dici queat: quod idem met auctor vocat, cogi ex neceſsitate iuſtæ miſericordię. Præclare etiam Damaſcenus, vt ſuperiore libro diximus, voluntatem illam, qua Deus omnes homines ſaluos cupit, antecedentem vocat. Eſt enim quaſi primum quoddam Dei propoſitum diuinæ benignitati conſentaneum: quod tamen ad exitum perduci minime vult; niſi liber hominis conſenſus eo concurrat: ideoque non abſoluta voluntas, ſed quaſi velleitas, quomodo tamen in Deum poteſt cadere, à noſtris Theologis nominatur. Ita iudex iuſtus, & bonus vult ex primo quodam propoſito hominem viuere: ſed hoc adiuncto, quòd homo ſit ſicarius, interfici iubet. Veriſsime igitur dictum eſt, *Perditio tua ex te Iſrael, tantum in me auxilium tuum.*

De ſcientia Dei. Cap. VII.

SVpereſt quæſtio illa, Vtrum ſcientia Dei & prænotio afferat rebus neceſsitatem. Verum ea quidem & à philoſophis, & à theologis adeo copioſe eſt explicata, vt qui adhuc dubitet, vix ſatis intelligens philoſophus, aut theologus haberi queat. Hoc non modo noſtrum eſt, ſed etiam Ariſtotelis fuit, diuinam cognoſcendi rationem adeo mentis noſtræ captum exuperare, vt eam nullo pacto comprehendere queamus. Illud vnum affirmari tuto poteſt, Deum ante omnia tempora, quę in tempore fiunt, cognoſcere; inſtante, ac ſemper præſente ęternitate, quæ præterierunt, aut futura ſunt; ſine vlla mutatione ea, quæ mutantur. Oculus noſter fixo obtutu cernit, quæ mutantur; nec mutatur ipſe, aut fallitur, aut neceſsitatem rebus, vt mutentur imponit: quanto igitur magis de æterno illo, & immutabili Dei oculo id credi poteſt, ac debet? Non igitur cognoſcendo fallitur; quoniam verè quæ fiunt, videt: nec tamen neceſsitatem imponit; quoniam, ſi nō hoc, ſed alio modo fierent; ille ſimiliter, vt ſuperius ex Chryſoſtomo diximus, non hoc, ſed alio modo fieri cognoſceret

ſceret:quod etiam optime,& copioſiſsime explicauit Beda in illa accurate perlegenda quæſtione xiij. Quo loco, quoniam ſæpe in ſcholis ita dici ſolet,hoc enunciatum *Fieri non poſſe,quin is qui prædeſtinatus ſit,ſalutem conſequatur*, in ſenſu compoſito verum eſſe, in ſenſu diuiſo falſum; diligenter attendendum eſt, compoſitionem iſtam duobus adhuc modis accipi poſſe,multumque intereſſe, vtro accipiatur. Id vt facilius intelligatur,proponamus duo iſta pronunciata, vnum quidem *Neceſſe eſt Petrum,dum à præſtanti forma trahitur,moueri:* Alterum vero, *Neceſſe eſt Petrum,dum à gigante trahitur, moueri:* Vtrumque intelligis in ſenſu compoſito verum eſſe,ſed in priore liberè moueri Petrum, in poſteriore cogi. Quid ita?quoniam in priore,licet,dum trahitur,neceſſe ſit ipſum moueri;tamen facere poteſt,ne trahatur:non enim præſtans forma vires trahendi habet niſi conſentientem: ideoque cum antecedens,ideſt tractio ex ipſius voluntate,non ex neceſsitate proficiſcatur,fit etiam, vt abſolute non ex neceſsitate,ſed ex libera voluntate ipſum quoque conſequens, id eſt motus proficiſci cenſeatur. At in poſteriore antecedens ipſum violentiam coniunctam habet: non enim Petro ſuppetunt vires reſiſtendi giganti:quare conſequens etiam ipſum violentum. Idem fere in prædeſtinatione licet animaduerte. Nam cum dicis *Neceſſe eſt,vt qui prædeſtinatus eſt,ſalutem conſequatur*; aut ita ſtatuis antecedens aliqua ex parte eſſe in hominis poteſtate, nimirum, quòd ipſius voluntas nonnullum momentum habet ad hoc vt prędeſtinetur, atque hoc pacto, licet, quà prædeſtinatus eſt,neceſſe ſit,adipiſcatur ſalutem, tamen quoniam interuentu liberæ voluntatis ſuæ prędeſtinatur, ideo etiam libere ſalutem adipiſcitur:aut hoc tibi vis,in eo,quod antecedit, ideſt in ipſa prædeſtinatione nihil eſſe relictum loci libertati noſtræ,ſed agi hominem,non agere,atque adeo efficaciter vocari,ac trahi,vt neceſſe ſit ipſum ſequi. Quod ſi putas;iam adeſt neceſsitas non modo,vt Logici inquiunt, conſequentiæ, ſed etiam conſequentis. Non enim ſolùm neceſſe eſt ſaluari, quatenus prędeſtinatus eſt;ſed quoniam in prædeſtinatione nullum habet momentum voluntas noſtra,ideo abſolute neque in conſequenda ſalute habebit. Nos igitur ex ijs quæ priore libro ſunt conſtituta, priorem notionem amplectimur;poſteriorem repudiamus. Cæterum cum doctis hoc ſatis exploratum ſit, diuinam ſcientiam non afferre vim voluntati noſtræ;ad illud dumtaxat reditur; cur Deus, quos damnandos præſciuit, oriri ſinat. Cui quæſtioni hoc modo idem optimus auctor Auguſtinus occurrit, Deum ob alienam culpam non intermittere officium ſuum, nec perturbandum ſibi putare huius pulcherrimæ vniuerſitatis ordinem,& ſecundarum cauſarum curſum. Cæterum, & hanc quæſtionem, & illam alteram,vtrum damnatis ſatius ſit eſſe,quàm non eſſe,alio tempore,atque ad aliud fortaſſe inſtitutum tractabimus. Nam ad hunc de prædeſtinatione locum, quem in præſenti tractandum ſuſcepimus, & quantum

3.de lib. arb. c.2.

quantum in nobis fuit, iam explicauimus; minime pertinent. Quare ſi antea quædam ex D. Auguſtino attulerimus; finem huic diſputationi
Cap. 10. imponemus. Is igitur l. 5. de ciuit. Dei hoc modo ſcribit. *Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præſciuit: immo ideo non dubitatur ipſum peccare, cum peccat; quia ille cuius præſcientia falli non poteſt, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum eſſe præſciuit; qui ſi nolit omnino, non peccat; ſed, ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſciuit.* Tertio vero libro de libero arbitrio hunc in modum. *Sicut itaque non ſi-*
Cap. 4. *bi aduerſantur hæc duo; vt tu præſcientia tua noueris, quod alius ſua voluntate facturus eſt; ita Deus neminem ad peccatum cogens, præuidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non iudicet iuſtus; quæ fieri non cogit præſcius? Sicut enim tu memoria tua non cogis facta eſſe, quæ præterierunt; ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda, quæ futura ſunt. Et ſicut tu quædam, quæ feciſti, meminiſti, nec tamen quæ meminiſti, omnia feciſti; ita Deus omnia, quorum ipſe auctor eſt, præſcit: nec tamen omnium, quæ preſcit, ipſe auctor eſt. Quorum autem non eſt malus auctor; iuſtus eſt vltor.* Hæc D. Auguſtinus de libertatis noſtræ, & diuinæ præſcientiæ conſenſione. Legas vero & integrum tractatum liij. in Ioannem: conſtabit tibi profecto fructus lectionis tuæ. Itaque præclarâ eiuſdem optimi doctoris ſententia hanc diſputationem concludentes, vt reliqua, quæ attulimus, minus fortaſſe alicui probentur, illud ſaltem teneamus, *Si quis iſtam quæſtionem liquidius, & melius nouit ſe poſſe, & confidit exponere; abſit, vt non ſim paratior diſcere, quàm docere: tantum ne audeat quiſquam liberum arbitrium ſic defendere, vt nobis orationem, qua dicimus, Ne nos inferas in tentationem, conetur auferre, Rurſus, ne quiſquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excuſare peccatum.*

Laus Deo.

REGESTVM.

† A B C D E F G H.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Apud Hæredes Antonij Bladij. 1581.